

# PALAESTRA

## LATINA



ANN XXXIV (Fasc. II) – N. 186  
M. JUNIO – A. MCMLXIV

# PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

**PRETIVM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 37 - ZARAGOZA**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEstra ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'5 francis in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollars.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXXIV (Fasc. II) N. 186

M. JUNIO A. MCMLXIV

C. EICHENSEER, O. S. B., <i>De urbe Monaco saeculis sexto decimo et postero multum exulta</i> . . . . .	289
J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova et Vetera: In aëriportu</i> . . . . .	305
J. AMBROSI, <i>Iter Dantis in Deum: Infernum: Geryon, Ulixes, Hugolinus Comes</i> . . . . .	314
R. SCHMITT, <i>Theodorus Heuss, primus Foederatae rei publicae Germanicae praeses, mortem obiit</i> . . . . .	320
<i>Epistularum inter socios commercium: P. BASILIUS - MIR, MIR - C. EICHENSEER</i> . . . . .	323
L. M. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Horis subsicivis</i> . . . . .	328
BIBLIOGRAPHIA, I. <i>González, Philoponus, A. Marqués</i> . . . . .	329

### PALAEstra ADULESCENTIUM

N. Mangeot, <i>De ratione edendi apud Romanos</i> . . . . .	337
A. Luna, C. M. F., <i>Gallus ille «Passionis»</i> . . . . .	338
R. Sarmiento, C. M. F., <i>Mira prodigia</i> . . . . .	339
J. M. Mir, C. M. F., <i>Saguntum urbs opulentissima ab Hannibale detur III</i> . . . . .	340
G. Gañán, <i>De morte Kennedy. — C. Ojeda, Verborum aenigmata</i> . .	342
N. Mangeot, S. J., <i>Da mihi spongiam et citharam. — Ridete, pueri! — Solutions</i> . . . . .	343
H. H. Huxley, <i>Homeri epigramma XIII. — Quadratum magicum. — J. Aramendía, Tentoria movamus!</i> . . . . .	344

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARI  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIV (FASC. II) — N. 186

M. JUNIO

A. MCMLXIV

## De urbe Monaco<sup>1</sup> saeculis sexto decimo et postero multum exulta

Duces Bavarorum Bavariae caput conformare coeperunt inde a saeculo sexto decimo post Christum natum suis ipsorum consiliis usi sed sedi principali magis magisque plurimum tributuri, cum superioribus saeculis cives ipsi speciem urbis curare soliti sua consilia ad effectum adduxissent. Tunc res civitatis et ecclesiae et aulae ducalis inter se concorditer conjunctae multo magis a ducibus regi cooptae sunt, quorum effectum est opera, ut etiam auctoritas ecclesiae majoris fieret momenti. Jam vero quo majora incrementa huic urbi principi afferuntur, eo magis fit quasi speculum totius Bavariae, historiae dico Bavaricae, artium, vigoris, vitae; id quod permansit, quamquam his annis novissimis nostrae aetatis multa illata sunt elementa aliena.

Aula autem ducis quanto plus amplificatur, tanto longius in medium versus urbem procurrit, quamquam ante arx nova, interea jam pridem inverterata, in margine moenium constructa est. Ergo ab anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio usque ad annum millesimum quingentesimum sexagesimum septimum Villelmus Egkl, architectus indigena, aedificiorum tractum construxit, qui dicitur artificiorum<sup>2</sup>, quae hodie nominatur moneta, unde prospicitur in cavaedium insigne quoddam structurae genere, quod a renatis artibus nomen accepit<sup>3</sup>, cuius pulchritudine, robore, asperitate admiratio excitatur. In horum aedificiorum oecis multae res artificiosae maxime egregiae collectae continentur, inter quas hic illic sunt reliquiae memorabiliores quam praestantiores, velut illa restis, qua Judas Isca-

1. Monacum (*seu* Monachium) = München, Munich, Munique, Monaco; Cf. *LATINIT.* 9 (1961) 122 (adn. 2).

2. *Kunstkamer*.

3. Cf. *AAS* 48 (1956) 611; 49 (1957) 400, 700; 50 (1958). 65.

riotes se suspendisse fertur<sup>4</sup>. Praeter hoc primum Germaniae horreum operum artificiorumque<sup>5</sup> etiam antiquarium, quod dicitur, jam pars erat aulae novae, ubi per pulchrum quoddam C. Juli Caesaris caput antiquis Romanorum temporibus sculptum asservatur. Artium igitur renatarum et litterarum redintegratarum nuntii etiam in Bavariam pervenerunt ipsique duces ad ducti sunt, ut patroni Maecenatesque exsisterent. Quo factum est, ut inde ab Albrechto V (1550-1579) haec regia liberalitas jam superioribus saeculis aliquatenus in articia varia collata principum Vittelbacensium<sup>6</sup> quodammodo propria esset; quae munificentia civitati urbique decori est. Albrechtus autem Quintus, qua erat humanitate, in litteris excolendis decessoribus suis nihil cessit. Immo anno millesimo quingentesimo duodesagesimo bibliothecam aulicam condidit, cui anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo libros praestantissimos Johannis Jacobi Fuggéri, civis illius celeberrimi Augustani, inseruit. Quae bibliotheca publica hodie omnium Germanicarum longe amplissima est, si Lipsiensem<sup>7</sup> excipias, qua vicies centena et sescenta milia voluminum continentur, Monacensi vicies centena milia<sup>8</sup>. Imprimis ille musicam artem ita excolebat, ut symphoniaci aulici Monacenses, quibus Orlandus (seu Rolandus) Lassus<sup>9</sup> praeerat moderandis, in optimis totius Europae orbisque terrarum tum noti numerarentur. Idem, id quod summi momenti fuit, Jesuitas anno millesimo quingentesimo undesexagesimo Monacum vocavit. Hinc omnibus locis Bavariae fides catholica secundum decreta consiliaque concilii Tridentini<sup>10</sup> renovata neque vi neque coactu civitatis, sed opera sodalium hujus ordinis religiosi, qui ad populi captum facultatemque res sensibus oculisque magis percipiendi quam consilio et ratione accommodati hanc indolem Bavarorum in emolumendum religionis verae convertere non dubitaverunt. Albrechtum autem anno millesimo quingen tesimo undeoctogesimo mortuum homines cum laudibus prosecuti asseveraverunt fuisse dominum piissimum et praeclarissimum et prudentissimum, qui homines litteratos artificiososque dilexisset Bavariam intrinsecus et extrinsecus exornaturus.

4. Cf. VULG. Matth 27, 5 Et projectis argenteis in templo, recessit et abiens laqueo se suspendit. Cf. act. 1, 18.

5. Cf. PLIN. epist. 8, 18, 11 (ed. Schuster, Lipsiae 1958, p. 262, 18 sq.) tantum illi pulcherrimorum operum in horreis, quae neglegebat. Cf. ThLL VI, 3 2987, 41-76 (*horreum*). BACCI, Lexicon 4, Romae 1963, p. 490: museum (*Varr. - Suet. et al.*).

6. Vittelbacenses = Wittelsbacher.

7. Lipsia = Leipzig.

8. anno 1960.

9. Orlando di Lasso; cf. commentarios qui inscribuntur «Bayernland» 59 (1957) 453: tabula picta photographice et typographice reddit. Cf. VITAM LATINAM n. 18 (Janvier 1963), p. 65 sq.

10. celebratum est Tridenti (Trient, Trento) anno 1545-1563.

Hujus vestigiis Villelmus V, filius ejus<sup>11</sup>, insistebat, qui omni cogitatione curaque rei publicae regendae religionique conservandae deditus saepenumero more eremitarum<sup>12</sup> precibus Deo adhibendis et operibus Christiana caritatis<sup>13</sup> faciendis<sup>14</sup> vacavit nihilominus sollemnia splendidissime saepe molitus. Nuptiae ejus perquam sollemnes, quibus cum Renata Lotharinga copulatus est, per duas hebdomades celebratae sunt, quibus quattuordecim diebus divinis officiis peractis missarumque sollemnibus cantatis<sup>15</sup> Deo supplicabatur, splendidis spectaculis scaenicis, ludis equestribus<sup>16</sup>, salutationibus et choreis, ignibus festis succensis<sup>17</sup>, epulis apparatissimis, ubi plus quingenti boves altiles a convivis comedebantur, animi corporaque delectabantur. Neque umquam in comitibus Villelmus Orlandum Lassum, quo musico aulico familiariter utebatur, diu desiderabat. Idem, qui merito Pius cognominatur, anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, quo prima conventio inter Apostolicam Sedem et solium regium Bavicum facta est<sup>18</sup>, non solum expeditionem in Colonienses<sup>19</sup> suscepit<sup>20</sup>, qua fides doctrinaque catholica Rhenaniae et Vestfaliae servata est, sed etiam fundamenta ecclesiae Jesuitarum sancto Michaëli archangelo dedicandae eorundem coenobii jecit, unde hic annus regimini ejus omnium longe summi fuit momenti. Quo templo Christiano nullum est pulchrius et amplius a septentrionibus Alpium situm, quod structurae genere artium renatarum constructum est. Vix igitur centum annis post ecclesiam Beatae Mariae excitatum est. At quae mutatio rerum! Nam haec ecclesia structurae Gothicæ, quae est aspectu acerbior, cum sit ipsa reverentia quodammodo in lapidibus insculpta, illic aspectus hilarior spatii solis raditis perfusi, ubi ingens aula templi

11. regnavit annis 1579-1597.

12. Cf. ThLL V, 2 746, 65-747, 4: *eremita, -ae m. i. q. anachoreta in eremo habitans; cf. CASSIAN. coll. 19, 7 (CSEL 13, 541, 20) quisnam coenobitiae, quis eremitae sit finis.* 19, 8, 4 (p. 542, 26).

13. Cf. AUG. civ. 5, 26, 39 (CChL 47, 162) [*Christianos*] Christiana caritate dilexit.

14. Cf. CIC. Verr. 2, 145 (ed. Klotz, Lipsiae 1923, p. 131, 7) *LEX OPERE FACIUNDO.* 2, 146 (p. 132, 26-135, 1) *HOC OPUS BONUM SUO CUIQUE FACITO.* 2, 148 (p. 133, 21 sq.) *diem praestituit opere faciendo Kalendas Decembreas.*

15. Cf. SACR. Gelas. 1, 100 tit. PS. MAX. TAUR. serm. app. 25 (*Migne*, PL 57, 900 C) aut audire. Cf. ThLL VIII 1135, 71. 1137, 57: *missa.*

16. Cf. DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*, tom. IV, Niort 1885, p. 174: *hostilidum, quod vulgo torneamentum (=torneo, Turnier) vocant*

17. Cf. STAT. silv. 4, 8, 37 (ed. Klotz, Lipsiae 1911, p. 127) *festos cumulare alteribus ignes. —Feuerwerk (ignes artificiales), fuegos artificiales, fuochi d'artifizio, feu d'artifice, fireworks, firework display.*

18. Cf. ThLL IV 845, 47-82: *conventio i. q. pactio.*

19. *Colonia (Agripina) = Köln.*

20. Cf. ThLL V, 2 1627, 78 sq. (expeditio): *SUET. Tib. 37, 4 expeditio suscepta (Dom. 6, 1. ALC. AVIT. epist. 91 [MCH auct. ant. VI, 2 p. 99, 4] in ipso susceptae expeditio pro cinctu).*

rotunda cameratione<sup>21</sup> immensa contegitur, qua in hoc genere nulla est major a septentrionibus Alpium constructa. Ejusdem aedis sacrae majus altare spectantium admirationem movet, cuius operis structura posterior item secundum renatarum artium normam affabre confecta<sup>22</sup> et tam auri quam argenti laminis prorsus obducta, cui est imago Michaëlis archangeli inserta, quam Christophorus Schwarz, qui non raro Raffael dicitur Germanicus, mira venustate pinxit<sup>23</sup>, sursum paene usque ad lacunar eminet. Ibidem statuae parietibus presbyterii<sup>24</sup> et ipsius atrii<sup>25</sup> affixa sunt, quae in officina seu artificina<sup>26</sup> Huberti Gerhard, maximi illorum temporum id genus artificis, conficiebantur, qui fuit natione Hollandus<sup>27</sup> ut Fridericus Sustris architectus. Haec moles sacra etiamnunc diebus dominicis vel festis splendore vetere renidet, cum inter missarum sollemnia modi ab Orlando Lasso vel Praenestino<sup>28</sup> vel Mozart vel Haydn compositi canuntur et sacerdos sacra ueste indutus liturgiae<sup>29</sup> divinae munere fungitur in presbyterio radiis solis illustrato constitutus. Quae quisque contemplatus mysteria non jam condicionis tantum terrestris cognoscet, cur illa aetate illuc homines rapti sint quadamtenus jam in terris beatitate caelesti complendi, quamvis nondum illi modi musici Mozartiani tam hilares quam pii resonuissent.

Hunc in modum tum Jesuitae cum Monaco tum Ingolstadio<sup>30</sup> in omnem fere Bavariae regionem profecti fundamenta fidei firmaverunt animosque populi religione recta radicitus renovata splendoreque sacrae liturgiae multiplicato inflammaverunt. In his caerimonialiis<sup>31</sup> sollemnissimis sacramentalis

21 Cf. SPART. Carac. 9, 5 (ed. Hohl, Lipsiae 1955, p. 191, 3) ex aere vel cypro cancelli suppositi esse dicuntur, quibus cameratio tota thermarum concreta est. Cf. ThLL III 204, 69-72.

22. Cf. AAS 50 (1958) 850: (*Cracoviae*) Multae in eo [templo] arte rentident cellae, quas inter, praeter Sancti Dominici, illa prænobilis marmoream Sancti Hyacinthi arcam, ab exemplo Balthasare Fontana, Italo architecto, iuxta renascentium artium normam affabre confectam continens

23. Cf. AAS. 50 (1958) 305: (*coenobium Viltinense [Wilten]*) movent ibi præcipuum admirationem manus Matthaei Günther, artificis Augustani, qua sacras imagines ad Deliparam pertinentes ... mira venustate depinxit, opus tectorium eaq.

24. presbyterium est is locus ecclesiae, qui altari majori circumiacet, ubi sacerdotes (i. e. presbyteri) consistere consueverunt; cf. Codicem Juris Canonici, i. e. Juris vigentis ecclesiae catholicae, can 1455: extra presbyterium.

25. Cf. ThLL II 1101, 10-1104, 67 (atrium).

26. Cf. ThLL II 703, 36: artificina in qua artes exercentur Gloss. V 590, 51 ex Osterno.

27. Cf. Ijsewijn et Jacobs, VITA LATINA n. 6 (Janvier 1959), p. 24, adn. 2: Animaadversendum ... Hollandiam provinciam tantum esse regni cui nomen Nederlandia (*Netherlands; Niederlande; Pays-Bas; Olanda*); cf. ibid. p. 20.

28 Palestrina.

29. Cf. AUG. in psalm. 135, 3. 39 (CChL 40, 1959) ministerium vel servitium religionis, quae graece liturgia vel latrīa dicitur.

30. Ingolstadt.

31. Cf. ThLL III 100, 1-103, 51.

processio<sup>32</sup> diei festi Corporis Christi seu pompa theophorica<sup>33</sup> numerabatur, quae Villelmo V regnante in eucharistici<sup>34</sup> Domini triumphum ingentem per urbis vias vicosque actum evasit. Quae res ut prospere succederet, magnopere Jesuitae, quos jam saepius diximus, effecerunt. Quod agmen sacram ita instruebatur, ut fabri collegiis distincti<sup>35</sup> carros splendide apparatus per vias ducerent, quibus facta salutis a Deo dispensatae per personas quasi per imagines vivas spectantibus monstrarentur. Cuncti autem clerici omnesque aulici, denique multa milia popularium sacrosanctum sacramentum, quo Christus mediator Dei et hominum unicus<sup>36</sup> sub specie panis absconditus circumfertur, comitabantur. In viis vero milites vestimentis multicoloribus ipsorum propriis convestiti constituti sunt pro Summo Rege Immortali quasi excubituri. Anni autem millesimi quingentesimi octagesimi quarti die festo Corporis Christi imbres ventis agitati ita inguebant, ut plerique judicarent foras ecclesiae<sup>37</sup> procedi non posse. Cum vero is, qui fuit tum ecclesiae Beatae Mariae praepositus, quae nunc est ecclesia cathedralis, sub divum prodisset et Orlandus Lassus canticum, quod est «Gustate et videte, quam suavis sit Dominus timentibus eum et confidentibus ei», incohasset, eo ipso temporis momento tempestate subito sedata nubibusque disiectis sol ita resplenduit, ut plurimi crederent miraculum<sup>38</sup> esse factum.

Villelmus autem Quintus non solum siti sedandaे aulicorum civiumque sed etiam aerario publico exhausto novis redditus replendo providere coactus braciatorium<sup>39</sup> aulicum, id est aedificium intra eam aulam, quae nunc dicitur vetustior, situm, ubi cervesia<sup>40</sup> coqueretur postmodum celeberrima, anno millesimo quingentesimo undenonagesimo ratum habitum construen-

32. Cf. PAL. LAT. n. 184: 33 (1963) 196, adn. 30.

33. Cf. SLEUMER, Albert, Kirchenlat. Wörterbuch 2, Limburg/Lahn 1926. p. 779 sq.: processio theophorica est processio, qua Sanctissimum, quod dicitur, in ostensorio expositum gestatur.

34. Cf. ThLL V, 2 1004, 77-1005, 2

35. Zünfte; cf. AEN. SILV. PICCOLOMINI (ed. Berthe Widmer, Basel/Stuttgart 1960) p. 366: summa ... Imperii penes magistrum civium ... post hunc magister zunftarum sequitur. Habent enim singulae artes mechanicae zunftam ..

36. Cf. VULG. I Tim. 2, 5.

37. Cf. AUL. apol. 50 tabes si foras corporis prospiravit.

Cf. ThLL VI, 1 1039, 76-1040, 23 (foras: II praepositio).

38. Cf. AUG. serm. 242, 1 (Migne, PL 38, 1139) Praeter consuetudinem facit Deus miracula, quia Deus est. Cf. ThLL VIII 1056, 81-1057, 4: miraculum: iuncturae verbales: dare, edere, exhibere, facere, implere, movere, operari

39. Cf. Eichenseer, VITA LATINA n. 8 (Sept. 1959), p. 55 et 61, adn. 9. Brauerei, birreria, cerveceria, brasserie, brewery.

40. Hisp.: cerveza, germ.: Bier, Ital.: birra, francog.: bière, angl.: beer. — Cf. ThLL III 943, 66 944, 20: cerves (i) a (cervis (i) a), -ae f. vocabulum celticum esse videtur. Cf. Bacci, LATINIT. 8 (1960) 18: gelidam cervisiam (sorbillare).

dum curavit, ubi tribus annis post primum ille potus inibi decoctus venit<sup>41</sup>. Cui generi potionis etiamnum plurimi, qui id studuerunt, ut Monacum inviserent, eodem fere loco adeo indulgent, ut non raro obliviscantur praeter potulenta praecellentia cum botulis albis excellentissimis alias quoque res non minus delectabiles preeberi.

Jam triginta annis ante Albrechtus Quintus ratus vetere genere scholarum non jam novis necessitatibus satisfieri<sup>42</sup>, per Jesuitas, quos vocaverat, gymnasium condidit Monacense, quod ceteris ejusdem modi ludis provinciarum per complura saecula exemplum erat imitandum. Ibi discipuli scientia religionis rite instructi ita litteris liberalibus imbuebantur, ut latinam praecipue linguam discerent, quasi esset lingua recentior. In colloquiis autem constituendis primo libellis Erasmianis<sup>43</sup> postea progymnasmatis Latinitatis, quae composuerat Jacobus Pontanus, usi tam in consuetudine cottidiana collenda quam in rhetorica exercenda et scriptionibus faciendis multum proficerunt id nixi, ut ipsi sua sensa scirent sollerter et diligenter verbis ad persuadendum aptis exprimere. Praeterea lingua graeca et lingua hebraica docebantur, quibus linguis saeculo posteriore historia, geographia, arithmeticata, mathematica, physica, lingua germanica linguaeque recentiores additae sunt. Cursus vero disciplinae anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono ratione quadam studiorum ad certam legem ita revocatus est, ut tota institutio scholave in quinque sexve gradus distribueretur<sup>44</sup>, quarum classum hodie novem numerantur. Quem ludum jam anno millesimo quingentesimo undesexagesimo institutum et tempore quadragesimae<sup>45</sup> anni insequentis sollemniter inauguratum primo ducenti deinde trecenti, denique anno millesimo sescentesimo tricesimo primo mille quadringenti sexaginta quatuor discipuli frequentabant. Qui numerus modo imminuebatur modo augebatur a septingentis usque ad mille, atque id quidem usque ad medium saeculum duodevicesimum. Aedificium autem templo sancti Michaëlis continuum

41. Cf. FREY, Hans, *Beiträge zur Kulturgeschichte des bayerischen Brauwesens, in commentariis qui inscribuntur Bayernland* 59 (1957) 93

42. De scholis prioribus parochialibus Albrechtus V his verbis judicat: «In quibus quidem scholis... pueri litterarum fundamenta recte discere nequeunt, quoniam dicti rectores, qui eos instituunt, cotidianis officiis in ecclesiis huius modi praesertim matutino tempore, quando puerorum ingenia maxime exerceat deberent, decantandis ita occupantur et detinentur, ut pueros neglere oporteat...» JOACHIMSEN - VON WELZ, *Aus der Vergangenheit des Münchner Wilhelmsgymnasiums*, München 1959, p. 79, adn. 5; cf. *ibid.* de nominis forma Italica urbis Monaci vetustiore (p. 80, adn. 13): Polancus ad Canisium (epist. Canisit II, 566) scripsit: Molto ci stiamo consolati in Domino de intendere, che... la eccellenzia del duche de Babiera habla cacciato quel altra peste di Monicho

43. DESIDERII ERASMI Roterdamii *Colloquia familiaria et encomium moriae*, editionis stereotypae C. Tauchnitianaæ nova impressio, tom. II, Lipsiae (sine anno).

44. Cf. JOACHIMSEN - VON WELZ, *op. mem.*, p. 13 35.

45. *cuaresma, quaresima, carême, Fastenzeit, Lent.*

hujus scholae, quae primo in domo quadam areae Augustinianorum instituta erat, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto ab Albrechtto V constructum Villelmus V anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo nova ala valde amplificavit, unde hoc gymnasium inde ab anno millesimo octingentesimo undequinquagesimo nominatur Villematum, ut ab aliis scholis similibus discernatur hodie in alio urbis loco constitutum<sup>46</sup>. In hac schola ab anno millesimo septingentesimo sexagesimo quarto usque ad millesimum septingentesimum septuagesimum Johannes Michaël Saller, qui postea curriculo magisterii eximiit transcurso<sup>47</sup> episcopus ille celeberrimus Ratisponensis<sup>48</sup> constitutus est, antequam ordo Jesuitarum a. d. XII Kal. Augustas anni millesimi septingentesimi septuagesimi tertii dissolutus est suppressus, doctrinis artibusque liberalibus atque summa pietate erga Deum et homines instructus est. Eademque ludo moderando Georgius Lurz, qui anno millesimo nongentesimo tricesimo secundo commentarios Societatis Latinae Monacensis edere coepit, usque ad annum millesimum nongentesimum tricesimum quartum praefuit<sup>49</sup>. Ipsum autem gymnasium hoc celeberrimum atque primigenium Bavicum temporibus tyrannidis Hitlerianae<sup>50</sup> non mediocriter quassatum feliciter restitutum est, ut esset etiam in posterum doctrinae, virtuti, pietati sacrum<sup>51</sup>.

Homines autem saeculi sexti decimi, de quibus agimus, illis temporibus non solum contionibus ad religionem instituebantur, sed etiam ludis scaenicas, quibus si potissimum discipuli videbantur erudiendi, qui scholas Jesuitarum frequentabant. Quae fabulae cum non raro tantae essent, ut uno die peragi non possent<sup>52</sup>, cunctis subsidii scaenicis ingentique multitudine histronum actae sunt. Eis partes musicae, cantus chorales saltationesque insertae erant, quo apparatu ipsa argumenta veritatibus fidei salutisque innixa in populi animos magis insinarentur. Verba autem ipsa latina ab interpretibus explanabantur, ut plebes quoque, quid ageretur, intellegerent. Hae quidem fabulae quamvis non omnes ejusdem praestantiae fuerint eximiae,

46. *Thierschstrasse (via Thiersiana)* n. 46: illuc, in domum a rege Ludovico II, aedificatam, translatum est die 24 Oct. 1877; cf. JOACHIMSEN - VON WELZ, op. mem., p. 39 (adn.) et p. 55. Cf. opus quod inscribitur: *Festschrift zur Vierhundert-Jahr-Feier des Wilhelms-Gymnasiums 1559-1959*, München 1959. Triginta fere milia discipulorum ibi (usque ad nostra tempora) studiorum cursum perfecerunt (Max. Leitschuh, epist. 4 juni 1960 data).

47. Cf. Cod. Theod. 6, 35, 14 quindecenni transcurso curriculo (=ThLL IV 1507, 56 sq.).

48. Ratispona (*seu Ratisbona*) = Regensburg; Saller ibi episcopavit annis 1829 1832.

49. mortuus est 30. 1. 1941; cf. SOCIET. LAT. 13 (1947) 1; Cf. JOACHIMSEN - VON WELZ op. mem., p. 69; cf. IJsewijn et Jacobs, VITA LATINA n. 7, avril 1959, 84.

50. annis 1932-1945; cf. SOC. LAT. 10 (1942) 62: edictum Hitlerianum.

51. Cf. VON WELZ (- JOACHIMSEN), op. mem., p. 75.

52. Cf. JOACHIMSEN - VON WELZ, op. mem., p. 22: ad fabulam Constantiū a. 1575 ac tam plus mille actores necessarii erant, inter quos quadringenti equites; ad fabulam Esther a. 1577 actam trecenti homines, quae semel tribus diebus continua peracta est.

tamen nonnullae in carminibus longe praeclarissimis omnium, quae in Germania saeculo sexto decimo exeunte et septimo decimo ineunte condita sunt, numerantur. Jam vero verus poëta Jacobus Bidermann e societate Jesu fuit, cuius poëma singulare Cenodoxus inscribitur, quod etiamnunc scaenis datur, quo mirum quantum animi spectantium commoventur<sup>53</sup>. Quo factum est, ut tum non pauci nobiles<sup>54</sup> hac fabula spectata illico Jesuitas exercitationum spiritualium<sup>55</sup> causa participandarum adirent. Primum autem fabula Cenodoxus<sup>56</sup> anno millesimo sescentesimo nono Monaci transacta est, anno millesimo nongentesimo duodesagesimo, quod sciam, ultimum, paribus plausibus excepta. Ibi de viro quodam Parisino, qui nihil facit neque quicquam boni nisi fastu<sup>57</sup> commotus, agitur, qui mortuus et in feretro repositus clamore horribili ter exclamat se condemnatum esse. Ostenditur autem, quibus rationibus hoc judicium in caelo exerceatur et quibus cruciatibus ille poena perpetua multandus apud inferos torqueatur<sup>58</sup>. Quibus rebus perspectis Bruno, qui fuit discipulus Cenodoxi, quem magnopere celebat, una cum amicis suis saeculum relinquit et in solitudine Carthusiana seu Gratinapolitana<sup>59</sup> fundamenta jicit ordinis religiosi Carthusianorum. Eos autem versus finales, quibus amicos suos allocutus Cenodoxi voce dicit se adductum, ut ratione vitae solitariae salutem quaereret, quam ille multitudine adulatorum semper stipatus perdidisset<sup>60</sup>, juvat afferri:

53. Cf. exemplar photographice redditum epistulae, quam Jacobus Bidermann ad Raderum dedit, in *commentaris qui inscribuntur «Bayerland»* 61 (1959) 569; KÖHLER, Gustav, *Das religiöse «Comödie» spiel*. — His anni Max. Wehrli summa diligentia illam fabulam celeberrimam edidit, quae inscribitur: Philemon Martyr (qui liber venalis prostat a domo editoria Coloniensi in publicum propositus: Jakob Hegner, Köln/Olten 1960).

54. quattuordecim aulici seu patricii statim exercitationes spirituales participarunt et is, qui primas partes egerat, ordinem Jesuitarum ingressus est: JOACHIMSEN - VON WELZ, op. mem., p. 22.

55. Cf. AAS 52 (1960) 148: clero ... spiritualibus exercitationibus ad puriorem apostolicam vivendi formam provehendo ... enituit [Vincentius a Paulo].

56. Cf. QUINT. Inst. 1, 5, 52 (ed. Radermacher, I, Lipsiae 1959, p. 36, 4-7) quaedam tamen et faciem soloecismi habent et dici vitiosa non possunt, ut 'tragoedia Thyestes', ut 'Iudi Floralia ac Megalensia': quamquam sequenti tempore interciderunt numquam aliter a veteribus dicta. Cic. Brut. 78 Thyesten fabulam. Tusc 4, 63 Orestem fabulam. HIER. epist. 52, 3, 6 Oedipi fabulam. SCHOL. Ter. p. 94, 24 fabula Eunuchi. (ThLL VI, 1 34, 4-6: *fabula*).

57. Cf ThLL VI, 1 328, 84-332, 31: *fastus*.

58. Cf. VITAM LATINAM n. 16 (Mai 1962), p. 20 (adn. 39).

59. Carthusia grandis (*seu magna*) = *La Grande Chartreuse*, Gratianopolis = Grenoble.

60. Cf VULG. Marc. 8, 35 Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; cf. Matth. 10, 39; 16, 25. AUG. enchir. 23, 92 (ed. Sizoo, [Scriptores Christiani primaevi, III], Hagae Comitis 1947, p. 82, 14-20) Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corruptitur...

*Nihil est necesse, credo, multis dicere,  
Cur vos potissimum evocarim. Nam docet  
Loquiturque caussam, me tacente, mortui  
Vox viva; quae me vosque noctes ac dies  
Terrefacit inque gaudis gaudia negat.  
Suamque metuit vita vitam, animum animus.  
Suspecta sunt, quaecumque sunt. Molestiam  
Creant amoena, et inopiam faciunt opes<sup>61</sup>.*

Praeterea illa aetate Jacobus Balde floruit tam carminibus lyricis quam sermone polito insignis, quippe qui opera latina condidisset, quibus nulla illis temporibus composita essent pulchriora, elegantiora, venustiora. En ejus pauci versus, quos in nemoroso viridario, Heselo dicto, prope a Monaco fe- riis Augustis anni millesimi sescentesimi quadragesimi quarti<sup>62</sup> de voce re- percussa, quae graece echo vocatur<sup>63</sup>, pepigit. Nam ait:

*Hic petet! Fatidico resonant oracula loco.  
Numen inesse dedit.  
Hic habitat nostris translata favoribus Echo.  
Experiare, licet!  
Dicta probaturus lustro nemus, atque loquenti  
Ultima verba Deae  
Blandior: «O thalamo non spreta impune superbo,*

*Huc age, Nympha, veni?  
Sic, qui se Stygia dudum speculatur in unda,  
Captus amore sui,  
Formosi rediens iuvenis Cephisius oris  
In tua vota ruat.  
Sic tibi suspendam, quod gesto nobile sertum,  
Virgo pudica». — (Echo) «Dical»<sup>64</sup>*

Tum Monacum litterarum artiumque studiis totius Europae late patuit, cum duces Bavariae et artifices et viri docti rationes contraherent cum viris litteratis artiumque peritis totius orbis catholici, cum italisch, francogallisch, hispanisch, vindobonensibus, quibus necessitudinibus jam ante inter se consocia- ti artius conjungebantur. Aegidius autem Albertinus, officialis<sup>65</sup> quidam

61. Scaena finalis, v. 8 sqq : EDUARD VON WELZ, *Jakob Bidermann und Jakob Balde*, Zwei alte Wilhelminer, München 1959, p. 7.

62. E. V. WELZ, *op. mem.*, p. 17: Im grünen Hain von Hesseloh bei München. August-ferien 1644.

63. Cf. ThLL V, 2 47, 1 50: echo: apud auctores antiquos tantum casus nominativus et accusativus leguntur hujus vocabuli.

64. E. V. WELZ, *op. mem.*, p. 17. Cf. librum nuper editum: JACOB BALDE, *Dichtungen (=carmina), lateinisch und deutsch*, ed. Max Werhli, Köln/Olten 1963 (*domus editoria: Jakob Hegner*).

65. Cf. CIL. X 1727, 3 AURELIO ... OFICIALI - VETERI - A MEMORIA - ET A DIPLOMATIBVS. Cod. Theod. 1, 12, 2 (a. 319) (ed. Mommsen, Berolini 1905, p. 48) officialium Instructione. 6, 4, 13, 3 (a. 361) [p. 252] [ab] eodem praefecto urbi officialibus debent postulari.

Cf. STEIN, Ernst, *Die Kaiserlichen Beamten und Truppenkörper im römischen Deutschland unter dem Prinzipat*, Wien 1932, p. 71-86; MADVIG, J. N., *Die Verfassung und Verwaltung des römischen Staates*, vol. I, Leipzig 1881, p. 590-592. MOMMSEN, Theodor, *Gesammelte Schriften*, vol. VI, *Histor. Schriften*, vol. III, Berlin 1910, p. 170 sq. HANTON, *Lexique explicatif du Recueil des inscriptions grecques chrétiennes d'Asie Mineure, in commentariis qui inscribuntur Byzantion* 4 (1929) 53-136; p. 111 ὀφρικάλιος (=officialis).

aulae ducalis<sup>66</sup> opera hispanice vel italice vel francogallice conscripta argumenti sive religiosi sive honesti in linguam Germanorum convertere consuevit. Idem formam fabularum milesiarum, quibus de hominibus dolosis seu pellacibus agitur, quae est Hispanorum propria, in litteras germanicas induduxit<sup>67</sup>. Ergo hac aetate splendor exterior rerum cum flore interiore litterarum artiumque conectebatur, quibus operibus fere ubique quiddam religionis Christianae et gravitatis humanae inserebatur.

Denique Villemus V crebrius secessum quaerit, ut per complures dies more anachoretarum<sup>68</sup> oret et jejunet et aegrotos inopesque suscipiat curandos conversus ex principe vitae jucunditatibus obsecuto in virum gravem severitate. Postquam autem Bavaria tanto aere alieno demersa est, ut vix emere posset, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, quo ecclesia sancti Michaëlis dedicata et encaeniata<sup>69</sup> est, a negotiis publicis se removit, quamvis senio nondum confectus esset, et onus ducatus Bavarici filio juveni injunxit.

Maximilianus<sup>70</sup> igitur Primus, qui cognominatur Magnus, ceteris principibus aequalibus auctoritate antecellit, quippe qui in majoribus Vittelbacensibus, nisi omnium est maximus, habeatur<sup>71</sup>, qui umquam ad rem publicam Bavaricam accesserunt. Hic veri nominis imperator est, cum durius in se ipsum consulat cunctis in negotiis officiorum numquam immemor, immo obstinatus saluti populi providere atque honori Dei inservire. Quam rem viribus contentis exsequi paratus bene mane hora quarta (secundum recentiorem rationem horas computandi<sup>72</sup>) de lecto surgere solitus usque in multam noctem in operibus conficiendis consuevit occupatus esse. Idem autem muneri tuendi atque religionis exercendae studium ut singuli universi haberent ab iis quoque, qui alicui officio publico praerant, postulavit flagitavitque ab eis, qui sub potestate ipsius erant. Itaque Monacenses brevi novum hoc imperium senserunt. Nam ille edictis decrevit<sup>73</sup>, ut singuli ordines classesve civium suum modum diligenter descriptum vestimenta gestandi

66. *ducal, ducale, herzoglich.*

67. *Hoc genus litterarum germanice dicitur Schelmenroman.*

68. Cf. ThLL II 13, 42-46: *anachoreta, -ae m.* Hier. epist. 22, 34 *anachoretae qui soli habitant per deserta.*

69. Cf. ThLL V, 2 555, 71-74: *encaento, -are. AUG. In euang. Joh. 48, 2 (CChL 36, 413).* Cf. SCHATTENHOFER, Michael, *München im Zug der Geschichte in opere quo in scribitur Leben-diges München*, München 1958, p. 36.

70. *regnavit annis 1597-1651.*

71. Cf. Cic. Brur. 100 in mediocribus oratoribus habitus est. Nep. Chabr. 1, 1 Cic. Att. 2, 112. 5, 5, 2. Cf. ThLL VI, 2446, 9-53: *habere in c. abl. (act. - pass.).*

72. Cf. GREG. TUR. stell. 17 quamquam omni tempore horae duodecim computantur, non tamen aequalem habent mensuram. ThLL VI, 3 2953, 57-59 (*hora*).

73. *anno 1626.*

servarent, quo quidem luxus effrenatus cohiberetur<sup>74</sup>. Praeterea statutum est, quota hora diebus festis saltatio finienda esset, quibus temporibus sanctis, velut quadragesimae vel adventus Domini, paginis seu chartis lusoriis ludi vetaretur, quam necesse esset, ut colendis officiis religionis religiose singuli satisfacerent. Res autem nummarias rei publicae prorsus conturbatas composuit congregatisque tantas opes exspectatione citius, ut inter principes potentiores personam non mediocrem sustineret. Conquisivit autem sibi ministros<sup>75</sup> rei idoneos, a quibus operam egregiam exegit, quos benigne tractavit, quibus mercedem justam pependit, quibus commeatum copiosum dedit, quippe qui filium monuisset fortunam famulorum esse dominorum fortunam. Idem scholas diligentius instituendas, jura denuo digerenda, leges iterum scribendas curavit. Porro litteras excoluit constitutique coetum historicorum<sup>76</sup> doctorum Monaci, qui historiam Bavariae contexerent<sup>77</sup>, imprimis res gestas imperatoris Ludovici<sup>78</sup>, quem summiopere coluit. His accessit Matthaeus Raderus, Jesuita Tirolensis, qui in opere, quod inscribitur «Bavaria sancta», cuncta collegit, quae hic illic dispersa de sanctis Bavaris, qui usquam exstiterunt, reperiri potuerunt conscribenda. Signum autem Bavariae convalescentis, quae Maximiliano regnante civitatibus Europae praepotentibus adnumeratur, novum palatium est, quod ille paulo post gubernacula rei publicae suscepta construere coepit. Aequales quidem in hoc opere architecturae cumulum quendam exinium allatum esse existimaverunt, in cuius aedificii fronte<sup>79</sup> statua Mariae matris mirifica. Patronae scilicet Bajoriae<sup>80</sup>, anno millesimo sescentesimo sexto decimo collocata est etiamnum ibi constituta, quam Johannes Krump(t)er, natione item Bavarus, daedale<sup>81</sup> finixerat. Maximilianus igitur, quamvis esset indole consiliisque austerus, nihilominus articia ita dilexit, ut opera Albrechti Dureri colligeret coemeretque primas Petri Pauli Rubens imagines. Hinc hodie Monaci longe plurimae tabalarum pictarum omnium, quas Rubens confecit, in unum collectae conservantur. Praeterea ille in honorem imperatoris Ludovici Bavari monumen-

74. Cf. SCHATTENHOFER, *op. mem.*, p. 46-48.

75. Cf. RUBENBAUER, Johannes, *De historia vocis «ministri»*, LATINIT. 5 (1957) 112-115.

76. Cf. ThLL VI, 3 2842, 42-44 (*historicus*): GELL. 13, 7, 6 *historicorum nobilissimi* (15, 23 tlt.). ITIN. Eucher. p. 130, 19. AUG. epist. 138, 16 (CSEL 44, 142, 15).

77. Cf. LACT. Inst. 1, 11, 53 Euhererus ... *res gestas Iovis* ... collegit historiamque contextuit. Cf. ThLL VI, 3 2837, 6-37 (*historia*).

78. Imperavit annis 1314-1347.

79. Cf. ThLL VI, 1 1362, 38-61: *frons: de aedium earumque parte anteriore et posteriore, de aedificiorum quattuor lateribus vel uno ex his.*

80. Cf. AEN. SILV. PICCOLOMINI (ed. Widmer) p. 266: *adsunt conjurati et cum eis Ludovicus comes Feldensis ex Baloartae ducibus.*

81. Cf. JUL. VAL. 3, 53 aquila effigie daedale. Cf. ThLL. V, 1 4, 22-32: *daedalus δαιδαλος.*

tum magnificentissimum secundum normam artium renatarum constructum collocavit in ecclesia Beatae Mariae dicata. Idem in horto<sup>82</sup> aulico papilionem<sup>83</sup> seu aediculam rotundam, id est in modum circuli exstructam<sup>84</sup>, excitavit, in cuius fastigio figura feminae symbolis<sup>85</sup> Bavanicis exornatae impensa est, quam statuam paeclarissimam Hubertus Gerhard paecepta artium renatarum secutus tam affabre confecit, ut supra nihil possit addi. Sed paepter artes, litteras, poësim etiam ars musica colebatur, quarum rerum tractationibus Monacum tum splendebat, quae propter plus viginti tempa Christiana et numero plura sacella merito Roma germanica nominabatur, nam his rebus excellentibus, quas modo enumeravimus, non solum aula ducalis magnificentissima accessit, sed etiam disciplina severa atque religio servata. Eodem etiam tot sodales ordinum religiosorum, Capuccinos dico Carmelitas aliosque, vocati sunt, ut plus duodecim coenobia tum moenibus Monacensis concluderentur. In his viris celeberrimis etiam Laurentius Brundisius<sup>86</sup> numeratur, qui his nostris diebus doctoribus ecclesiasticis adnumeratus est<sup>87</sup>. Eminet autem inter ceteros Hieremias Drexelius<sup>88</sup>, qui non solum in sacro suggestu verbis suis animos audientium commovit, sed etiam scriptis suis mentes legentium, etsi erant longissime remoti, inflammavit, cum libri ejus latine conscripti etiam in Hollandia et Francogallia typis describerentur tanta multitudine multiplicati, quanta maxima potuit. Quin etiam nonnulli

82. Cf. ThLL VI, 3 3016, 59-3017, 43: *hortus: l. q. viridarium spatiose, nemus deliciarum, fundus vel praedium speciem horti prae se ferens, παράδεισος*.

83. Cf. LAMPR. Alex. 51, 5 (ed. Hohl, Lipsiae 1955, p. 292, 2) in procinctu atque in expeditionibus apertis papilionibus prandit atque cenavit. TERT. mart. 3, 1, 14 (CChL 1, 5) procedit, sed de papilionibus ... eis. ISID. orig. 15, 10, 3 (ed. Lindsay, Oxonii 1911) Papillones vocantur a similitudine parvuli animalis volantis ... Vulgo *pabellón*, *pavilhão*, *padiglione*, *pavilion*, *Pavillon*

84. Cf. PLIN. epist. 5, 6, 17 *gestatio in modum circi ... circumit*.

85. Cf. C. EICHENSEER, *Das Symbolum Apostolicum beim Heiligen Augustinus*, St. Ottilien 1960, p. 14-21.

86. Cf. ThLL II 2210, 46-2211, 49: *Brundisium, -i portus Calabriae hodie Brindisi*. 2211, 34-40: *incola Brundisius, -a*: Cic. Att. 4, 1, 4 a Brundisini honestissimis eis., contra cf. AAS 51 (1959) 456: S. Laurentius Brundisius doctor ecclesiae universalis declaratur; p. 456-461: *Litterae Apostolicae*; p. 592-594: officium et missa S. Laurentii a Brundusio, Confessoris Doctoris.

87. Cf. AAS 51 (1959) 457: *Per Alpium aspera pedibus transgressus, diu est in plagiis septentrionalibus peregrinatus, ut ad veram fidem populos in tot tantisque illorum temporum turbis institueret. . Cf. SCHATTENHOFER, op. mem., p. 36.*

88. *Jeremias Drexel*; 170 700 exemplaria librorum ejus edita sunt; cf. *Bayernland* 60 (1958) 324. — Carolus Pörnbacher, cuius commentatio academica de hoc viro egregio conscripta nondum est typis mandata, dicit jam usque ad annum 1639 158 700 exemplaria typis descripta esse: Freih. v. POELNITZ, *Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben* (= *vita Sueborum Bavariæ*), vol. VIII, München 1961, p. 228-255: K. Pörnbacher, *Jeremias Drexel* (1581-1638), *Imprimis* p. 252 sq.

tractatus illius in quinque linguas recentiores translati sunt<sup>89</sup>. Juvat igitur hic nonnulla verba afferri, quibus civium opinones praejudicatas redarguit. Nam ait: »Nolite judicare, nolite! O viri Monacenses, viri Augustani, viri Ratisbonenses et ceteri, judicare nolite. Nihilominus, ah quoties, quam temere religiosorum hominum coetus et judicantur et damnantur, tam superbiae quam avaritiae, aliorumque vitiorum?...»<sup>90</sup>

Maximilianus autem in monitis paternis, quae ipse composuit, filium suum monuit haec: «Hoc certo statuendum est, in principiis erga Deum pietate felicitatem ipsius et subjectorum mores magnam partem simul utrorumque fata librari»<sup>91</sup>. Alio loco ejusdem libri dicit haec: «De re militari pauca tam in primis te scire, quam exercere malim. Bellum optimum, quod nullum: bonum quod alienum, quod remotissimum, quod in hostico, quod fortunae tuae insidiatores premat. Ceterum, qui bellum dixit, malum omne dixit. Hujus idonei testes sunt, qui passi sunt, qui usurparunt oculis bellum horrenda detrimenta, non, qui fecerunt, aut non viderunt»<sup>92</sup>. Hic ergo, qui quam disertissime dissuasit omne bellum, per triginta annos bellum gerere coactus est, ab anno millesimo sescentesimo duodevicesimo usque ad annum millesimum sescentesimum duodequinquagesimum, cum pax illa Monasteriensis seu Westfalica pacta est<sup>93</sup>, qua temporis misericordia modus punebatur. Qui quidem sententiam sacrae scripturae sibi suisque sequendam proposuit, quae est: «Exsurget Deus et dissipentur inimici ejus»<sup>94</sup>, anno millesimo sestentesimo vicesimo una cum Johanne Tilly, praefecto suo militum ei simillico, ad Pragam<sup>95</sup> adversarios proelio vicit, cuius rei gratia paucis annis post ab imperatore Ferdinando II<sup>96</sup> dignitate electoratus<sup>97</sup> decoratus est et insuper Palatinatus Superioris<sup>98</sup> imperio praefectus. Tamen Marte vario per tantum temporis spatium pugnavit. Quo factum est, ut tam toti Bavariae quam Monaco soli multum calamitatis, inopiae, terroris inferretur. Nam anno mil-

89. Cf GRASSI, Hans, *Bayerns Beiträge zur deutschen Literatur*, in *commentarlis qui inscribuntur Bayernland* 60 (1958) 324.

90. Recta intentio omnium humanarum actionum amussis, ab Hieremio Drexelio (1581-1638), editio altera, Monachii, apud Melchiorum Segen, MDCXXVII, p. 317 sq. (= lib. II, cap. VII).

91. Monita paterna Maximiliani utriusque Bavariae Ducis Serenissimi Electoris et Archidapiferi ad Ferdinandum-Maria(m) utriusque Bavariae Ducem, Filium adhuc trimulum, Ratisbonae MDCCXXX, p. 6.

92. Monita paterna Maximiliani, *op. mem.*, p. 109 sq.

93. Cf. DICKMANN, Fritz, *Der Westfälische Frieden*, Münster/Westf. 1959, p. 581-584; cf. *ibid* p. 474 et p. 522 sq.

94. VULG. psalm. 67, 2 (juxta Latinam Vulgatam versionem, Romae 1951, p. 156)

95. *Prag.*

96. Imperavit annis 1619-1637.

97. *Kurfürstenwürde, electorado, electorat, electorate.*

98. *Oberpf*

lesimo sescentesimo tricesimo secundo Gustavus Adolfus<sup>99</sup>, rex Suetorum<sup>100</sup>, exercitu suo ad portas urbis advenit, ubi ei eo fere loco, quo postea Maximilaneum aedificatum est, rector civium<sup>101</sup> claves civitatis a. d. XVI Kal. Junias tradidit. Qui hostis quadringenta quinquaginta milia florenorum a Monacensibus exegit, si urbem incendio et populatione vastari nollent. Quae condicio durissima accipienda esse visa est, ne cuncta perniciel proderentur. Sed bibliothecam et arcem Maximiliani rex Adolfus spoliatas reliquit, cum a. d. VII Idus Junias, interea etiam a Jesuitis aliquando hospitio receptus multumque cum reverendis patribus doctissimis bene collocutus, inde profectus est, quippe qui totam aulam Monacensem auferre et in regnum suum artificiorum paene expers transferre maluisset.

Maximillanus autem his hebdomadibus<sup>102</sup> procellarum plenis periculose peractis, quibus cum exercitu valde imminuto ad Ratisponam constiterat, Monacum, in caput Bavariae non deletum incendio, incolmis eodem anno reversus sex annis post<sup>103</sup> in foro Monacensi Marialem columnam collocavit conservatae urbis signum, quo grates maximas ageret atque haberet, quod patria patrocinio potentissimo Beatae Mariae Virginis Matrisque ab interitu vindicata esset. Haec columna primus Bavariae atque centralis<sup>104</sup> lapis milarius<sup>105</sup> est unde ex illo tempore tota terra Bavarica dimetienda suscepta est. Ei est imposita statua mirum in modum amabilis Beatae Mariae, Patro-

99. Cf. EGGER, Carolus, *Lexicon nominum virorum et mulierum* 2, Romae 1963, p. 121, 5.

100. Cf. EGGER, op. mem., p. 121 (*Gustavus*), p. 142 (s. v. *Karen*); COPPA, LATINIT. 7 (1959) 238: *Suetorum*. Cf. *commentarios Per lo studio e l'uso del latino* [Roma] 4 (1942) 66 sq.: *Sueci, Suecorum, Suecos, In Suecanam linguam*. — Denique melior forma nominis est: *Suetia, Sueti, Sueticus*, nam c littera ex t in sibilum verso videtur ortus esse, qualis commutatio in scriptis medii aevi saepissime invenitur.

101. *Litsalz*.

102. Cf. ThLL VI, 3 2577, 14 2580, 13: *hebdomas, -adis f., et hebdomada, -ae f.*, *ibid.* 2578, 57-2579, 2: *apud Christianos: spatium septem dierum quod nascitur recursu dierum dominicarum, t. q. septimana*. Cf. Ps. AMBR. serm. 15, 2 (Migne, PL 17, 633 B) *quodragesima ... sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus pontifex septimam hebdomadam ... HIER. epist. 120, 4, 1* (CSEL 60, 482, 3-7) *'una sabbati' dies dominica intellegenda est ...* (cf. ISID. nat. 3, 1 [ed. BECKER, Berolini 1857, p. 9, 6] *Hebdomada autem septem feris constat*).

103. Cf. titulum ibi inscriptum: IN HONOREM B. VIRGINIS MARIAE ERECTA HAEC COLUMN A IVSSV MAXIMILIANI VTRIVSQVE BAVARIAE DVCIS S. R. I. (= Sacri Imperii Romani) ARCHIDAP (Iferi) ET ELECTORIS. BENEDICENTE EPISCOPO FRISINGENSI. MDCXXXVIII. RENOV. MDCCXXXIX. MDCCCLV. MDCCCLXX. MDCCCXC.

104. Cf. ThLL III 822, 40-42: *centralis, -e. in centro positus*; PLIN. nat. 2, 86 *terra centralis*.

105. Cf. ThLL VIII 46, 65-949, 60: *scribitur in codicibus fere ubique per unam l; eqs.*

nae Bavariae<sup>106</sup>, quam Hubertus Gerhard artificiosissime confecit. Cui monumento Maximilianus ipse haec verba in modum versus rhopalici inscripsit:

*Rem, Regem, Regimen, Regionem, Religionem  
Conserva Bavaris<sup>107</sup>, Virgo Maria, Tuis<sup>108</sup>.*

Qui versus saeculo posteriore aliam in formam neutiquam meliorem redacti sunt. Inde ibi legitur:

*Rex, regnum, regimen, regio, religio  
Restaurata sunt sub tuo praestidio<sup>109</sup>.*

Jacobus autem Balde hanc, de qua agimus, Virginis imaginem his celebravit versibus:

*Matrem illimi<sup>110</sup> generasse partu  
Laeta matorem Genetrice Natum,  
Huc ades, qua te simulat columnae  
Stantis imago.*

*Semper intersts populo benigna,  
Quem foro multum medio tueris  
Aureum lucens et amicta pura  
Veste diei<sup>111</sup>.*

Illo autem bello tricennali tandem confecto Maximilianus ea, quae sunt fame, peste, miseriis, odiis diruta et deleta, restituere, quoad potuit, conatus

106. Cf. BREVIARIUM MONASTICUM, die festo Patronae Bavariae, i. e. sabbato primo mensis Maii, lect. VII: Maximilianus Elector primus, qui in fronte palatii sui novi statuam Mariannam titulo 'Patrona Boariae' insignitam dedicavit ac postea, cum eiusdem caelestis Patronae intercessione praeclaram victoriam reportasset, grata memoriam statuam in foro publico erigendam curavit in honorem beatae Mariae Virginis, quam verbis et scriptis 'Boicam Dominem' solutavit.

107. Ex hoc versu Prof. Dr. Josephus Hirmer, qui fuit tum Ratisponae octoginta septem annos natus, collegit syllabam paenultimam nominis Bavar brevem esse. (Ex epistula die 18 m. Jan. 1960 benignissime data).

108. Cf FREYBERGER, Laurent, *Patrona Bavariae*, in commentariorum qui inscribuntur «Bavaria», [München] ann. 61, Nov.-Dec 1959, p. 483 486.

109. Cf. *Bayernland* 61 (1959) 484 sq.

110. illimi<sup>s</sup> est hic i. q. nullis spurcitiis maculatus, i. e. immaculatus; cf. ThLL VII, 380, 26-29: illimi<sup>s</sup>, -e i. q. sine limo: OV. met. 407 fons erat illimi<sup>s</sup>, nitidis argenteis undis. (CARM. de pascha 28. cf. AUSON. 298, 30 ANTH. 523) SIDON. epist. 1, 5, 6 puteus.

111. carm. lyr. 3, 28 (ed. Benno Müller, Monachii 1844, p. 243).

coepit. Quae damna demum saeculo undevicesimo plane resarta sunt<sup>112</sup>. Denique die quodam autumnali frigido, dum est iterum in itinere ad loca sancta peregrinatus a. d. IIII Kalendas Octobres (id est die vicesimo septimo mensis Septembris) anno millesimo sescentesimo quinquagesimo primo morte interceptus est. In crypta autem ecclesiae sancto Michaëli dicatae hic princeps maximus arcae stagnae<sup>113</sup> inclusus resurrectionem mortuorum die nonnissimo futuram exspectaturus compositus est.

His ergo condicionibus, quas paucis adumbrabamus, ea fundamenta Monaci Monacensisque civitatis consolidata sunt, quibus innixus Ludovicus Primus, rex Bavarorum<sup>114</sup>, Monacum, cuius cives hodie plus quam decies centena milia sunt numero, cuius celeberrima fama fines Bavariae et Germaniae, quin etiam Europae, excedit, eam revera reddidit urbem, quam qui non invisit, is negandus est Germaniam et multo minus Bavariam vidiisse<sup>115</sup>.

Scribebam mense Januario anni MDCCCCLXIII.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

112. Cf. SCHATTENHOFER, *op. mem.*, p. 56.

113. cor Maximiliani Otingae (*Altötting*) asservatur, intestina ejus in templo B. Mariae dedicato Ingolstadiensi conservantur. — Adj. 'stagnum': cf. WALDE-HOFMANN, *Lat. etymologisches Wörterbuch*, II, Heidelberg 1954, p. 585: *stagnum*, -i n *Mischung aus Blei und Silber, später Zinn*: die bestbeglaubigte Schreibung ist *stagnum*, nicht 'stannum'. adj. *stagnus, stanius*. Cf. BRÜCH, Josef. *Vulgärlat. \*peltrum 'Zinn'* Österreich. Akademie der Wissenschaften, phil.-hist. Klasse, Sitzungsberichte, vol. 233, tractatus 2, Wien 1959.

114. natus Argentorati anno 1786, regnavit annis 1825-1848, mortuus est Nicaeae (ad Varum /Nizza/) anno 1868.

115. Hanc occasionem peropportunam nactus Johanni Pörnbacher, doctori peramicō, coinqüillino quondam meo Monacensi, civi nunc Staingadensi et Francofurtensi, gratiam persolvo plurimam, quod qua est scientia singulari historiae Bavariae monitu meo paene perpetuo has hujus aetatis altarumque res precibus iteratis obsecutus dilucide composuit latine reddendas et, si condicōnes ferrent, dilatandas.

# NOVA ET VETERA

## IN AERIOPORTU\*

1. Tenetisne memoria fabellam illam qua Icarum, Daedali filium, cereis alis per aëra volitasse narratur et in mare decidisse?... Quod autem veteres frustra temptarunt et mente tantum finixerunt, id superiore aetate homines periti et industrii adepti sunt et nostra aetate cumulate absolverunt.

2. In aéronautica<sup>1</sup> primum folles aërii<sup>2</sup> seu globi<sup>3</sup> adhiberi coepti sunt, qui aëre calido aut hydrogено aut alio gasio, leviore quam est aér, replebantur; deinde ad supportandos vectores cymbula<sup>4</sup> his aërostatis<sup>5</sup> subjecta est.

1. AÉRONAUTICA [*aeronáutica* - *aéronautique* - *aeronautica*]: quae a vobis graecis ἀήρ - ναυτική dicitur; est igitur ars aéronautica qua 'per aëra navigatur, volatur'.

2. FOLLES AËRII [*globo*, *aerostato* - *ballon*, *aérestat* - *pallone*, *aerostato*]: «*follis*» est 'sacculus qui vento aliave te impletur'; «*folliculus*» rei minus aptus videtur cum hic de globo grande agatur (cfr. tamen C. A. BACCI, *Lexicon*, s. v. *aerostato*).

3. GLOBI: «*globus*» dicitur 'de re quae rotundam sphaerae figuram exprimit'; quae vox jam a prioribus de navigatione aëria scriptoribus adhibetur; cfr. LAELIUS, *Vox Urbis*, 2 (1899) 158: «*Globum...* muniri sedulo curaveram»; «*Globus elegantissime in aërem prosiluit*».

4. CYMBULA [*cesta*, *barquilla*]:

quam «*scirpum*» vocat De Vecchi Pieralice (*Vox Urbis*, 2 (1899) 125): «*Vehiculum rarioris aetheris plenum, aërostatum, cui scirpus, vel navigium gestans hominem... appendatur*»; et «*calathum vimineum*» (*Id. Ibid.*, p. 140): «*Cui calathus vimineus appenderetur*»; «*corbem*» dixit Du-maine (*Conversations latines*<sup>3</sup>, p. 253).

5. AÉROSTATIS [*aerostato* - *aéros-tat* - *aerostato*]: «*aërostatum*» a fonte graeco: ἀήρ et στάτος (ἴστημι) 'quod in aëre consistit'; vocem usurpat H. De Vecchi Pieralice (*Vox Urbis*, 2 (1899) 125, col. 3): «*Aérostata Mongolfieriana...*». «*Captum quippe aërostatum... adipiscendae victoriae causa fuit*». — A Rovitti vero (*Vox Urbis*<sup>(1)</sup>, 3 (1900) 191) masculino genere adhibetur *aërostatus*: «*Stabat autem aërostatus aeterno fune detentus*»... — *Inclinat*

\* Conferatur lucubratio in PALAESTRA LATINA m. februario a. 1950 (n. 119) vulgata.

(1) Consulantur memoratae lucubrationes in *Voce Urbis* evulgatae, quibus quae fuerit sapientium mens de globis aërostaticis et aéroplanis ineunte saeculo liquido patet.

3. Postea viri periti globos perfecerunt atque regibilia<sup>6</sup> et praegrandia zeppelinia<sup>7</sup> invenerunt, quae, quamvis brevi temporis spatio, maximo commodo dissitis civitatibus earumque commercio fuerunt.

4. Tandem ineunte saeculo XX aëroplana<sup>8</sup>, aëre graviora, reperta sunt, animus ut aërostātūm neutro genere efferamus.

—MARIANO: «follis aërostaticus»; BADELLINO: «aërostaticus globus; aërostātūm; machina aërobatica»; C. BACCI: «folliculus aërius, folliculus aërostaticus...; globus aërostaticus; follis aërostaticus; navis aëria...».

6. REGIBILIA [dirigible - dirigeable - dirigibile]: COGNASSO (*Il latino*, s. v.): «aëronavis, aërea navis, aëria navis moderabilis, sui potens navis»; MARIANO (*N. dizionario ital.-lat.*, s. v.): «navis aërea, aëronavis»; TEMPINI (*Manuale di conversazione lat.*<sup>5</sup>, p. 170): «navis aëria, aëronavis»; BADELLINO (*Dizionario ital.-lat.*, s. *Piccolo lessico*, col. 4240): «aëria navis gubernaculo instructa»; C. BACCI (*Lexicon*, s. v.): «navis aëria quae dirigī vel gubernari potest; aërius folliculus gubernabilis; aëronavis gubernabilis».

—Quae tamen voces rem ipsam parum definiunt et a similibus aërovehiculis non discriminant cum hodie viri periti a terra missilia et aëroplana dirigant vel gubernent... Praestat igitur ut unam adhibeamus vocem *technicam*, rei aptatam, ut in omnibus fit linguis. Teneamus *regibile* vel *gubernabile*, [aut *follis regibilis*, *gubernabilis*]. Cfr. E. JOVÉ (*Candidatus Latinus*, 2 (1929) 36), I. GONZÁLEZ (PAL. LAT., 3 (1933) 87): «*regibile*»; PAL. LAT., 20 (1950) 128-129): «(globus) *regibilis*, *gubernabilis*; *regibile*, *gubernabile* [*sup. navigium*]».

7. ZEPPELINIA [zeppelin - zeppelin - zeppelino]: quod «*regibile*» a Ferdinandi Zeppelin, aeronauta praestantissimo, anno 1897 exstructum est; anno vero 1920 viginti dierum spatio terram circumit. Ab ipso inventore nomen sumptum est. —Ita CAPELLANUS-LAMER, *Sprechen Sie Lateinisch?*<sup>11</sup>, p. 102, CAPELLANUS-LAMER-JIMÉNEZ, *Guía de la conversación latina*, 1936, p. 106; G. ZENONI, *Morfología latina*<sup>13</sup>, p. 464.

8. AËROPLANA [aeroplano - aéroplan - aeroplano]: hujus vocis usus in linguis vernaculis prorsus patet; et qui latine de novo invento scripserunt, jam initio eandem usurparunt vocem. Cfr. H. DE VECCHI PIERALICE, *Vox Urbis*, 2 (1899) 54, col. 3; *Id. Ibid.*, p. 126; E. JOVÉ, *Alma Roma*, 13 (1926) 95.

Rem quoque aliis nominibus designarunt: COGNASSO (*Il latino*, s. v.): «velivolum, aëroplanum, aligera machina, currus ales, volucr»; LUCIANO (*Vocabulario ital.-lat.*, 1962) et C. BIONE: «velivolum»; C. A. BACCI (*Lexicon*, s. v.): «velivolum, velivola navis; navis velivolans; navis volans, pervolans; aëria navis; cymba velivola, velivolans, pervolans; aligera navis. —Aëronavis; aërovehes; aërovehiculum, aërium vehiculum; aëroplanum».

Scriptores tamen de hujus nominis (*aëroplani*) etymo non consentiunt; alii enim a verbis graecis ἄρχει

quae, in dies perfectiora, commodissimam ac velocissimam itineris peragendi rationem praestiterunt.

5. Quae ut singillatim et distincte perspicerem aëroplora una cum Joanne Gundisalvio quodam die ad aëriportum<sup>9</sup> accessi. Ibi primum oculis sunt subjecta summamque excitarunt admirationem ingentia aëroplana duebus, tribus, quattuorve motoriis<sup>10</sup> instructo, quae, dum permoventur, horrisono edunt strepitus.

$\pi\lambda\alpha\nu\omega$  illud ducunt; cumque primum  $\alpha$  breve sit, acuendum esse latine aëroplánum asserunt. Quam tenent sententiam CAPELLANUS-LAMER, Sprechen Sie Lateinisch<sup>11</sup>, p. 102, TEMPINI, Conversaz. lat., p. 170; Manuale di composiz. lat.<sup>2</sup>, p. 66; C. A. BACCI, Lexicon<sup>4</sup>; ROCCI, Nuove favole latine, p. 13; FORNÉS, Ejercicios latinos de vocabulario y fraseología, Barcelona, 1942, p. 35; alii haud pauci.

Sunt tamen qui contrariam tenent sententiam, in quibus: Diccionario de la lengua española<sup>12</sup> / Real Academia Española, Madrid 1956; M. ALONSO, Encyclopedie del idioma, Madrid 1958; S. GILI GAYA, «Vox» Diccionario Gral. ilustrado de la lengua esp., Barcelona 1953; J. CORCINAS, Diccionario crítico etimológico de la lengua cast., vol. I, Madrid 1954, s. v. aire, cuius haec sunt verba: «Aeronave y aeroplano son formaciones híbridas en que el gr.  $\alpha\acute{r}p$  se combina con palabras castellanas (la formación culia latina habría sido aeroplano<sup>(1)</sup>)». — Ergo ex his auctoribus nomen fictum est a voce gr.  $\alpha\acute{r}p$ , quae nonnullis vocabulis in linguis romanicis vulgo praefigunt (aero-), et *plano* (= «plánus») quod

idem valet atque *ala*, ut infra sub s. v. *monoplano*, adn. 24. — Aéroplánum quoque acidunt Mariano et Badellino.

9. AÉRIPORTUM [aeropuerto - aérodrome - aeroparto]: «aéroportus»: quae vox ab scriptoribus vulgo usurpatur; forma vero hybrida — graeca et iatina — a linguis vernaculis excepta est; rectius *aériportus* latine efferretur, nam prima compositi latini pars vocali *i* plerumque desinit; neque vece hybrida opus est. Scriptores habent: G. LURZ (Soc. Lat., 17 (1952) 7): «portus aëro planorum, aéroportus»; BADELLINO (s. *Piccolo lessico*): «aéoplano-rum portus»; C. A. BACCI (*Lexicon*, s. v.): «aéronavium portus; aéropor-tus»; haud pauci scriptores proponunt tantum *aérodromus*.

10. MOTORIIS [motor · moteur · motore]: adjективum *motorius*, *a*, *um*<sup>(2)</sup> significat 'quod motum habet, quod moveri potest'; substantivum *motorium* legimus apud Tertullianum (*Anim.*, 14, 3, 17); estque recte dictum ex legibus grammaticis; neque igitur est cur ab eo abstineamus. Quanquam *machinatio*, *machinamen-tum* adhiberi possunt — eaque ab Em-mo. Card. Bacci propenuntur (cfr.

(1) Quod tenendum in omnibus fere vocibus latinis, ergo rectius scribendum *aériportus*, *aérinaves*, *aérvéhiculum*, *aérvéhes*, *aérvola*, cet.; quanquam, si vis, et usui cedendum, «penes quem est jus et norma loquendi».

(2) Cfr. PAL. LAT., 31 (1961) 65-66, ubi P. C. Elchenseer auctorum locos, in quibus *motorius* exhibetur, plene comitateque memorat.

6. Joannes, curiositate ductus, diligenter inspexit testudinem<sup>11</sup>, helices<sup>12</sup>, alas<sup>13</sup> earumque tensuram<sup>14</sup>, gubernacula<sup>15</sup>, antennas, caudam, rotas, apparatus

*Lexicon, s. v.)*—, tamen rem ipsam plerumque distincte non satis defi- nient. —Ceterum cfr. *Joventus*, 26 (1941) 31-32: «Motoria benzino quo- que moverentur»... «Motorium petro- leo agitatum». «Ad motorium agendum habile factum est»... HOLZER (*Alma Roma*, 25 (1938) 98 seq.): «motorium circumagitetur seu currat; motorium im- petum non capit»; HOLZER (PAL. LAT., 22 (1952) 134): «motorium congloba- tum»; ...«otioso vel sistente motorio»; E. Jové (*Alma Roma*, 13 (1927) 95: «motorium cessare coēgit».

11. TESTUDINEM [*fuselage, cuerpo del avión - fuselage - fusoliera*]: non suf- ficiunt voces propositae: «canthe- riūs», id est 'tectorium ad frigus ar- cendum'; neque «fusura» (cfr. *Candi- datus Lat.*, 2 (1929) 36) quae signifi- cat 'fusionem, liquefactionem, vel ipsam rem fusam'; neque sufficere videtur «compages» (cfr. DUMAINE, *Convers. lat.*<sup>3</sup>, p. 253; MIR, PAL. LAT., 20 (1950) 128-129) quae 'est rerum simul compactarum conexio seu col- ligatio, compactio', id est 'ipsa rerum conjunctio seu copulatio'. —Aptior mihi videtur *testudo* (quam proposue- rat P. E. Jové in *Candidato Latino*, 2 (1929) 36 ut vocem *casco* latine red- deret), quae etiam dicitur 'de quovis tegumento, testa, crusta'. Nam vete- res —ut refert Plinius, *Nat. Hist.*, 9, 11 (12)— et casas habitabiles ex his in- tegebant et cymbas faciebant, et testudinum putamina seu crustas in laminae secabant et ex his lectos ves- tiebant. —Merito igitur et nos id,

quo aëroplanum quasi vestitur —ejus formam et partem exteriorem— «tes- tudinem» vocare possumus.

12. HELICES [*hélice - hélice - elica*]: a voce graeca ἑλιξ, quia «volvitur», id est ἑλίσσεται. *Helicem* ex vi sermo- nis graeci in latinum aptamus, nam eo sensu, quo nos hodie vocem adhibemus, apud veteres scriptores non invenimus. —Mariano habet: «helici- ca»; Badellino: «helica, spira»; Bacci: «helica, elix, spira».

13. ALAS [*ala - aile - ala*]: ex si- militudine alarum avium. Cfr.: «... Constat enim duabus *alis* enoribus aërem ventilaturis» (H. DE VECCHI) PIERALICE, *Vox Urbis*, 2 (1899) 54, col. 3).

14. TENSURAM [*envergadura - en- vergure*]: apud scriptores posteriores «tensionem» et «tensuram» legimus, quas ut voces technicas accipere li- cet. —«Tensio» est 'actus tendendi, intensio', et idem valet «tensura»: «Nunc papiliorum tensionem osten- demus»; «Papilio unus... accipit in- crementum *tensurae* ped. II» (cfr. HY- GINIUM GROM., *Mun. castr.*, 1; 2).

15. GUBERNACULA [*timón - guver- nail - timone*]: simili ratione atque in navibus, quibus a tergo —ut ait Se- neca, *Epist.*, 90, 24— gubernacula ad- duntur ut navigii cursum huc et illuc torqueant: exemplum a piscibus trac- tum est, qui cauda reguntur...

16. APPARATUM DESULTORIUM [*tren de aterrizaje*]: nonnihil sensum vocis deflectimus, nam «apparatus» complectitur et significat 'ea omnia



**Res numeris designantur et latine exprimuntur**

1	helicóptero
2	hélice
3	autogiro
4	profesor
5	alumnos
6	globo
7	bimotor
8	ala
9	timón
10	avión a reacción
11	cabina
12	paracaidas
13	dirigible
14	aeródromo
15	faro
16	torre de control
17	aeroplano
18	pasajeros; viajeros

desultorium<sup>16</sup>, aëroplani umbilicum<sup>17</sup>, cellulam<sup>18</sup>, radiophōnum, onerum reposito-  
rium<sup>19</sup>, fomitis reconditorium<sup>20</sup>, sedilia, loculamenta, alia quae usui et commodo  
vectoribus sunt.

7. Deinde Joannes ad pueros, qui mecum venerant, conversus sat multa de  
navigatione aërea<sup>21</sup> enarravit: «Complura —ut scitis— sunt aërivehicula: ut aëri-  
vola<sup>22</sup>, alivehes<sup>23</sup>, monoplanum<sup>24</sup>, biplanum, hydroplanum<sup>25</sup>, helicopterum<sup>26</sup>,

instrumenta quae ad aliquid compa-  
rata et disposita sunt'. —Desultorius,  
id est 'ad desiliendum aptus'; «desi-  
lire» autem est 'saltu descendere';  
est igitur 'apparatus quo quasi saltu  
aëroplanum in terram descendit'.

17. AËROPLANI UMBILICUM [*car-  
linga - carlingue - carlinga*]: «umbili-  
cus» translato sensu dicitur 'de parte  
media —praecipua— cujusque rei':  
«Qui locus, quod in media est insu-  
sula situs, umbilicus Siciliae nomina-  
tur» (*Cic. Verr.*, 6, 48, 106); «Delphi  
umbilicus terrarum» (cf. *Cic. Divinat.*,  
2, 56, 115).

18. CELLULAM [*cabina - cabine -  
cabina*]: 'parva cella, parvum cubicu-  
lum', quod uni vel paucis inservit.

19. ONERUM REPOSITORYM [*por-  
tacargas*]: 'apotheaca, horreum, locus  
in quo res reponuntur, asservantur'.

20. FOMITIS RECONDITORIUM [*tan-  
que de combustible*]: 'apotheaca, cella,  
locus in quo aliquid servandum re-  
ponitur'. —Similia sunt verba 'repo-  
sitorium - reconditorium'. —Fomes  
dicitur de materia quae facile ignes-  
cat: quia 'ignem fovit et alit'; ideo  
cum rem igni concipiendo aptam ex-  
primimus, quin materiae genus in-  
nuamus, «fomite» uti possumus.

21. NAVIGATIONE AËREA [*avia-  
ción - aviation - aviazione*]: cfr. H. DE  
VECCHI PIERALICE (*Vox Urbis*, 2 (1899)  
54) cuius est lucubratio «Tentata

olim aërea navigatio», «navigatio au-  
tem aërea» interdum idem valet atque  
«aeronautica». —Improbanda sunt  
—ut monent J. Lis (*Soc. Lat.*, 6 (1938)  
18 et G. Lurz (*Ibid.*, 13 (1952) 7)—  
«aviator et aviatio», quae a Tempini  
(*Manuale di convers. lat.*<sup>5</sup>, p. 170),  
Cognasso (*Il latino*, s. v.), aliis exhi-  
bentur; Mariano et Tempini propo-  
nunt etiam: «ars aviaria», quibus pa-  
rum ipsa res significatur; «aviarius»  
enim est 'quod ad aves spectat'. Ne-  
que tamen sufficere videtur «aëria  
classis» (cfr. C. A. BACCI, *Lexicon*, s.  
v.), cum saepe sermo sit de aërea ci-  
vium navigatione.

22. AËRIVOLA [*avioneta*]: cfr. *Can-  
didatus Lat.*, 2 (1929) 36; *PAL. LAT.*,  
3 (1933) 86. «Aërivola» similem ex-  
hibet formam ac «veli·volus, a, um»,  
quo'adjectivo poëtae latini saepe utun-  
tur; eaque satius aestimanda est  
quam «velivolum», cum clarius rem  
designet, id est: [navis] 'quae per  
aëra volat' (*aëri-vola*); cfr. E. JOVÉ,  
*Alma Roma*, 14 (1927) 48. —Genus  
femininum retineri liceat.

23. ALIVEHES [*avión - avion - ae-  
roplano*]: cfr. *Candidatus Lat.* et *PAL.  
LAT.*, *ibidem*. —*Vehes* significat 'pla-  
strum, vehiculum'; vocis igitur sensus  
est 'plastrum, vehiculum alis in-  
structum'; quod idem valet atque  
«aërovehes», quam adhibuit Nardis  
et probat Bacci.

**autogyrus**<sup>27</sup>: ex quibus nonnulla ad onera comportanda aut ad vectores in diversas orbis regiones et civitates perducendos, adhibentur.

8. Cum bellum inter nationes exoritur, aërinaves<sup>28</sup> primas partes gerunt; nam aliae hostium fines, oppida, munimenta, militum concursus speculantur, quas speculatorias<sup>29</sup> appellamus; aliae vero, quae insectantes<sup>30</sup> dicuntur, velocissime praegrandes aéronaves insequuntur in easque quasi collidere videntur ut gubernatorem feriant aut hostium aériehicula<sup>31</sup> demoliantur; aliae tandem pyrobolos<sup>32</sup>,

24. MONOPLANUM [*monoplano - monoplan - monoplano*]: cfr. DUMAINE, *Canversat. lat.*<sup>3</sup>, p. 253; *Candidatus Lat.*, 2 (1929) 36. —Dicitur a vocibus μόνος et *planum*, id est aërinavis uno «plano» seu una ala instructa.

25. HYDROPLANUM [*hidroplano - hydroplan - idroplano*]: a voce graeca ὕδωρ et *planum* cfr. DUMAINE et *Candidatus L.*, *ibidem*; PAL. LAT., 3 (1933) 87; E. JOVÉ, *Alma Roma*, 14 (1927) 48, qui etiam adhibet «hydronavem».

26. HELICOPTERUM [*helicóptero - hélicoptère - elicottero*]: ab ἥλιξ, -ικος et πτερόν, ala; cfr. praeter supra (n. 25) laudatos scriptores, Card. Bacci.

27. AUTOGYRUS [*autogiro - autogyre - autogiro*]: est nomen cuiusdam helicoteri a Joanne de la Cierva inventi, quod ex ipsis verbis αὐτός et -gyro (*gyrus*) valet 'qui in se ipsum volvitur'.

28. AËRINAVES [*aeronave, aeroplano*]: vulgo «aéronavis» profertur; cfr. COGNASSO (*Il latino, s. v. aeronave*), TEMPINI (*Manuale di convers. lat.*<sup>5</sup>, p. 170); LURZ (*Soc. Lat.*, 13 (1952) 13, s. v. *Luft-*); MARIANO: «aéronavis».

29. SPECULATORIAS [*avión de reconocimiento - aeroplano di ricognizione*]: verbum desumptum est e *navigili*, et scimus Caesarem de navibus loqui «speculatoriis» (*B. G.*, 4, 26) quae ad excurrendum et speculandum inser-

viunt; easdem C. Bacci facit «velivola explorantia», quae quidem et «exploratoria» dici possunt cum Vegetius de navibus «exploratoriis» agat.

30. INSECTANTES [*avión de caza, caza - avion de chasse - aeroplano da caccia*]: «insectari» est 'persequi, insequi, instare', quod hae aërinaves faciunt. — GENOVESI, *Carmina*, 1959, p. 317-325: «ala praepete cymba plurima venatrix»; C. Bacci habet: «velivolum propulsans» (*aeroplano da caccia*); «velivolum incursitans, incursans, aggrediens, impugnans» (*aeroplano d'assalto*); E. FORNÉS, *Ejercicios latinos de vocabulario y fraseología*, 1942, p. 35: «aëroplanum aucupii», a qua voce rectius abstinentum.

31. AËRIEHICULA [*aparato de aviación, avión, aeroplano, aeronave*]: idem valet atque aliae voces quae aëroplanum designant. — Scriptores «aërovehiculum» exhibent; cfr. supra adn. 9 et 28.

32. PYROBOLOS [*bomba - bombe - bomba*]: de voce scriptores habent: COGNASSO: «Ignifer globus, igniferae glandes, pyrobolus»; DUMAINE: «pyrobola»; QUICHERAT: «globus fulmineus, globus fulmineo pulvere referitus»; MARIANO: «ignifer globus, pyrobolus»; eadem et alia, quae minus placent, a Card. Bacci referuntur. — *Pyrobolus* —dici etiam potest «py-

aut pilas incendiarias<sup>33</sup>, aut displudentes<sup>34</sup>, aut infestissimam bombam atomicam<sup>35</sup>

robolum, — est 'id quod ignem jicit'; «bolus» etiam latine dicitur; «pyro-

bolo» utere libenter aut «igneo, igni-

fero globo».

33. PILAS INCENDIARIAS [*bomba incendiaria - bombe, grenade incendiaire - bomba incendiaria*]: «pila» dicitur 'quicquid rotundum est instar pilae'; dic: «pila incendiaria, globus incen-

diarius». — Alia quae a G. Lurz pro-

ponuntur (*Soc. Lat.*, 11 (1943) 6; 17 (1952) 9, s. v. *granate* = granata), non placent; cfr. etiam Bacci.

34. [PILAS] DISPLIDENTES [*bomba explosiva - bomba esplosiva*]: «pila displodens - globus displodens». — *Displodere* hoc sensu jam a multis adhi-

bitum est.

35. BOMBAM ATOMICAM [*bomba atómica - bombe atomique - bomba ató*  
*mica*]: non est cur in hanc vocem im-

petum faciamus eamque a lexico re-

centioris latinitatis expellamus. — Plu-

res sapientes «bombam» a voce lati-

na *bombo* (gr. βόμβος) ducunt<sup>(1)</sup>; *bom-*

*bis* autem latine dicitur 'de quocum-

que sonitu rauco et profundo'; ab ea-

que voce procedunt «*bombalium*, *bombico*, *bombicum*, *bombilo*, *bom-*

*bizo*, *bombilator*», alia.

Alii autem volunt «*bombam*» non a «*bombo*» mutuari, sed esse vocem onomatopoeicam seu similem onoma-

topaejae iterationem apud nos atque in lingua latina; et ex eadem senten-

tia «*bomba*» a «*bombarda*» duci-

tur<sup>(2)</sup>; hanc enim scriptam legimus apud scriptores infimae latinitatis saeculo saltem ante quam «*bomba*» adhibeatur.

Quicquid vero de etymo est, *bom-*  
*ba* uti possumus, saltem ut voce tech-

nica, in ea, quam, dicimus *bomba ato*-  
*mica*. Cfr. LURZ (*Soc. Lat.*, 11 (1943)

(1) Afferunt vocem *bomba* a «*bombo*» latino originem ducere: *Diccionario de la Lengua Española* 18, Real Academia Española, 1956; M. ALONSO, *Enciclopedia del idioma*, vol. I, Madrid 1958; S. GILI GAYA, *Vox. Diccionario General ilustrado de la lengua española*, Barcelona 1953; W. MEYER-LUEBKE, *Romanisches etymolog. Wörterbuch*, Heidelberg; A MAGNE, *Diccionario etimológico da língua latina*, vol. II, Rio de Janeiro 1953; R. J. CUERVO, *Apuntes críticos sobre el lenguaje Bogotano* 7, Bogotá 1939, p. 407, n. 487; alii.

(2) «Como la o castellana no corresponde a la o breve del griego [βόμβος], es probable que en romance se trate de una repetición de la misma onomatopeya que se formó en latín y en griego, más bien que de un descendiente de la voz latina. En la 2.<sup>a</sup> ac. *bomba* es derivado regresivo de *bombarda*, voz mucho más antigua; es difícil decidir en qué idioma se formó primero esta regresión, quizás en castellano más bien que en italiano, como suele admitirse, pues en este idioma no se documenta hasta el fin del Siglo XVII [fr. *bombe* 1640]... COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua cast.*, vol. I, s. v., GREDOS, Madrid 1954.

Cfr. B. MIGLIORINI, *Storia de la lingua italiana*, Firenze 1960, p. 239, ubi vox *bombarda* memoratur, et *Lexicon mediae et infimae latinitatis Poloncrum*, Vratislaviae 1958 s. v. *bombarda*, II meton. ubi loci laudantur in quibus *bombarda* idem, valet ac *bomba* = 'globus lapideus, qui e *bombarda* elictebatur': «culus *bombardae* seu *lapidis*... ictu unus sacerdos... est *interfectus*»; «in obsessos faciebantur *bombardae*»; eqs.

Recole tandem *PAL. LAT.*.. 21 (1951) 12, ubi P. A. Avenarius strenue defendit *bombam* et voces ab hac fictis *bombare*, *ebombare*, *combombare*, cet.

in oppida, in munitiones, in aëriportus, in navigia coniciunt: et ideo pyrobolaria vocantur aëroplana<sup>36</sup>, quae a peritis pyrobolariis reguntur. Cum autem aëriae hostium incursiones praevidentur, tunc a patro aërodromo insectantes et pyrobolariae aërinaves exsurgunt, quibus hostium irruentia aëroplana fugentur aut profligantur.

9. Aëriae naves, ut videtis, in aërodromo<sup>37</sup>, considunt; aliquando in receptaculis<sup>38</sup> custodiuntur. Opifices mechanici<sup>39</sup> detimenta<sup>40</sup> assidue recognoscunt atque reficiunt.

6; 17 (1952) 4; et J. Lis (*Soc. Lat.*, 6, (1938) 17: «*Bomba*, vox italica et hispanica, sed a vocabulo latino derivata, intacta relinquatur». — A. Pacitti (*PAL. LAT.*, 27 (1957) 213) adhibet «*atomicum globum*».

36. PYROBOLARIA AÉROPLANA [*a-vión de bombardeo - avión de bombardeamento - aeroplano da bombardamento*]: vocem («pyrobolarius») accipere possumus, dubium intercedat licet de vocabulo apud veteres: quo quidem res distinctius definitur quam verbis «*tormentarius, ballistarius, pyrobolistarius*» (cfr. Bacci, *Lexicon*, s. v. *bomba, bombardiere*). — Cfr. idem C. Bacci, s. v. *aeroplano [da bombardamento]*: «*velivolum ignivomis globis verberans, diruens, diffingens, confringens*».

37. AÉRDOROMO [*aerodromo*]: a vocibus graecis ἀήρ et δρόμος, cursus, quo exente saeculo XIX jam usus est — forsitan alio sensu — H. De

Vecchi Pieralice (*Vox Urbis*, 2 (1899) 126); et P. Caelestis (cfr. PAL. LAT. 31 (1961) 66) *aërodromion* facit, ut neograece dicitur. — Vide supra adn. 9.

38. RECEPTACULIS [*hangar, cobertizo para aviones - hangar - aviorimessa*]: «*receptaculum*» est 'id quod in se rem aliquam recipit'; cfr. «*avium, animalium, olei receptaculum...*». — «*Tavernaculum, statio*», quae a C. Bacci proponuntur, rem minus significare videntur.

39. OPIFICES MECHANICI [*mecánico*]: «*machinator*» apud Ciceronem legimus; «*mechanicus*» apud Gellium, Suetonium aliosque.

40. DETRIMENTA [*averia - avarie - avaria*]: in lexicis (cfr. Mariano, Baldellino, Bacci) invenies «*detrimentum capere; damnum pati*»; cfr. etiam PAL. LAT., 30 (1960) 219; 34 (1964) 261.

JOSEPHUS M.<sup>o</sup> MIR, C. M. F.

*Sequar —ad proximum fasciculum—*

# ITER DANTIS IN DEUM

## INFERNUM

### GERYON

*Inf., c. XVI, vv. 127-136; c. XVII, vv. 1-27*

*Turpissima  
Fraudis imago*

Juro tibi, lector, per verba p̄cēmatis hujus,  
si valeant — utinam! — store, probata diu:  
  
cuilibet intrepido cordi mirabile monstrum,  
visa est nare, velut pisce natantur aquae,  
  
forma nigrum putei crassumque per aēra sursum;  
haud secus ac sursum navila saepe redit  
  
in mare demissus solvatur ut ancora morsu,  
bracchia dilatans dum pede contrahitur.  
  
«En fera, qua caudae terebrantur acumine cuncta,  
quae montes superat, valla nec arma timet;  
  
ecce ea, qua foetet totus putredine mundus!»  
Haec subito effatus dux metuenda meus  
  
innuit ut nostri peragrati marginis illa  
marmoreum peteret belua muta caput.  
  
Tunc lapsu subiit turpissima Fraudis imago,  
trunco et fronte datis, dum mala cauda latet.  
  
Pictus in humano recti decor ore benigno;  
anguis at in reliquo corpore totus erat,  
  
binos villosa dispendens pelle lacertos,  
signatus rotulis pectora, terga, latus:  
  
non adeo variata toremata linteal Turcae,  
textile nec virgo Lydia <sup>3</sup> finxit opus.

Interdum veluti cum sit litora cyma,  
pars siccatur humi, pars operitur aquis;  
seu Germanorum velut in regione gulonum,  
cum parat intentus subdola bella fiber;  
ad saxum pariter stabat fera pessima ripae,  
unde trahit circum cocta saburra modum.  
Scanderat anterior, sinuosa sed agmina caudae  
posterior versans et per inane agitans;  
atque venenatos apices torquebat in altum,  
scorpius ut jactat tela bifurca minax.

## ULIXES

*Inf., c. XXVI, vv. 76-142*

*Nil cupidis  
mortalibus ardui*

Opportuna volans cum fax subit illa bicornis,  
haec simul audivi promere verba ducem:  
«Gratibus, ex vobis quos unicus occulit ignis,  
si vivus merui plusve minusve frui  
grandia gesta canens, subsistite: carperit olim  
ut prior enarret quo periturus iter».  
Murmure tunc flammae veteris sic altior ala  
nutavit, tamquam flamine pulsa foret;  
inde ferens apicem nunc huc, nunc flexilis illuc,  
lingua velut vibrans si loqueretur, ait:  
«Desertis Circae thalamis (ibi jam amplius annum  
permulsus steteram, non procul urbe, dato  
nomine ab Aenea quae post Cajeta vocata est),  
nec dulcis subolis, nec senis ulla patris  
me pietas, neque Penelopes tam fortis amantis,  
longa cui demum vota repleret, amor  
continuit, cupidum totum temptare per orbem  
virtutes hominum, crimina quaeque, plagas;  
ast uno, exiguae manu comitante fideli,  
navigio retuli me per aperta maris.

Vidi et Mauros usque et Hibēros Sardiniamque,  
illud et in gyros quot legit arva salum.

Cum prope contigimus, vetitis ubi porta columnis  
panditur Herculeis non violanda, fretum,  
jam vires mihi tardabat sociisque senectus:  
cesserat et Septa hinc, Hispal et inde retro.

—O fratres —dixi—, queis tot discrimina passis  
solis ad occidui litora adesse datum,  
haec nova ne, vestrae tenuis pars ultima vitae,  
sensibus his reliquis experienda neget:  
scilicet ut, nostri cursus duce sole, petamus  
muta per immensum, gentibus orba, loca.

Pendite qui sitis: pecudum non vivere ad instar,  
discere sed nati, celsaque cuncta sequi.—

His breviter dictis, ita ferbuit ardor eundi  
ut comites possem vix retinere dehinc;  
atque ubi vela dedit, ventis animisque secundis,  
hesperium versus navis ad Oceanum,  
palmula remorum fatuo fuit ala volatu,  
ad laevam vergens corripuitque viam.

Jam nova pingebant australia sidera noctem,  
cetera nam ruerant ima sub axe mari.

Nigrarant facilo quinque interlunia caelo,  
ex quo tam nobis ardua lecta via est,  
cum furvus longe, mons ingens cernitur; altus,  
ut mihi sim numquam visus adisse parem.

Laelitia tremuere statim non praescia corda  
qua mox adversa vi subigenda forent;  
namque illinc genito flavit ceu turbine ventus,  
inque priore premit fronte repente ratem.

Vortice perpetuo pariterque rotantibus undis  
ter quater intorquet, numinis imperio,  
quoad puppi sursum jacta, proraque deorsum,  
nos super immersos alta quievit aqua».

## HUGOLINUS COMES

*Inf., c. XXXII, vv. 125-139; c. XXXIII, vv. 1-90**Odii  
ferina immanitas*

Ecce duos capite extantes, quorum eminet alter,  
in scrobe constrictos cetera membra gelu  
conspicor: in socium, cervix ubi juncta cerēbro,  
maxillas crepitans qui superastat agit;  
utque furens collo Menalippi dentibus haesit  
Tydeus, sic carnes ossaque dilacerat.

«O miserande», rogo, «tanti qui saevus in hostem  
quem lanias odii signa ferina facis,  
cur hoc conjugium? vel qui gravis illius error?  
quod genus amborum? dum mea namque fluat  
vox, solvam rediens, tua sit si justa querella,  
mortales inter munera justa tibi».

Os crudis dapibus reus extulit ille, peresi  
ac tergens capitinis labra cruenta comis,  
sic ait: «Immiter vis me renovare dolorem,  
jam cor secretum quem meminisse premit.

Perpetuo ut tamen infamis sit proditor iste  
quem rodo, et verbis eloquar et lacrimis.

Quis sis, quo pergas, quae te via duxerit istuc  
haud scio, sed Tuscum te tua lingua monet.

Heic Hugolinus ego, Comes olim; Antistes hic olim,  
Rugerius: quid in hunc me furiet, retegam.

Dicere me captum prava hujus mente, peremptum  
perque fidem caeca morte, supervacuum;  
quod vero ignoras, fuerit mors horrida quantum,  
disce ut quae fulerim probra nefanda scias.

Per caveae tenebras — alii at claudantur in illa,  
 quae ex me deinde famis lugubre nomen habet — ,  
 iam semel atque iterum radiarant cornua lunae,  
 cum cecinit somnus fata sinistra mihi.

Visus hic ad montem, Pisis quo abscondita Luca est,  
 dux dominusque lupum pellere cum catulis.

Diraque Sigmundum praeerat gens, dira Gualandum,  
 gnaraque macraru[m] vis et odora canum.

Moxque simul lassos patrem gnatosque videbam,  
 tergora mox rabidis diripienda feris.

Excitus ante diem, per somnum plangere natos  
 audivi et panem poscere suppliciter.

Effere, quin gemis? infandi o praesagia veri!  
 ecquid, ni lacrimas, tu lacrimare soles?

Mane novo vigiles illos dopis hora subibat,  
 dum mala suspendunt phasmata quemque sua:

tum tonuere fore, turris per inania claustra,  
 heu, via non nostrae post reseranda fami!

Aspexi dulces pueros; vox torpuit; una  
 gutta nec ex oculis; saxeus intus eram.

Lugebant illi, et: — Quid agis? te quid, pater, angit?  
 obsecrat Anselmus, parvulus ille meus.

Non tamen indulsi lacrimis, non ora resolvi,  
 quoad rubuit terrae postera in orbe dies.

Ut jubar effusum vetito de lumine solis  
 exiguum penetrans carceris umbra babit,

triste mihi speculum facti, videre puelli  
 me raptim morsu stringere utramque manum;

et dubii an patrem citus ureret ardor edendi  
 consurrexere in dulcia verba patri:

— Nostrum, sis, doleatque minus, depascere corpus!  
 tu genitor: genitis jus tibi cumque frui — .

Me pietas domuit; lustrum inde obmutuit atrum:  
 o, nos dura sinu terra vorasset hians!

Quarta luce: —Pater! —Gaddus, mea viscera, plorat  
—auxiliare! —meos dum labat ante pedes.

Sic jacuit, sic dein reliqui jacuere quaterna  
de prole exsangues, pondera sparsa solo.

Deserto coepi tunc temptabundus in antro  
jam caecus gelidum tangere quemque manu,

tresque dies illos iterumque iterumque vocavi,  
donec plus potuit quam dolor, esuries».

Hinc rursus miserum frendens caput eruit hosti,  
fortibus ut frangit dentibus ossa canis.

Pro pudori! o Pisae, generosae infamia gentis  
cujus in ore melos aurea lingua sonat;

finitimis tardis subeat Capraria vindex,  
en subeat Gorgo: molibus atque suis

occludant Arnum, violenter ut unda retortis  
sternat gurgitibus teque tuosque simul.

Si tua namque Comes, velut ibat fama per urbem,  
tradiderat tacitis oppida pacta dolis,

ast aevi flore insontes, o aemula Thebes,  
immane est pueros excruciasse nefas.

*Joannes Ambrosi*

# Theodorus Heuss, primus Foederatae rei publicae Germanicae praeses, mortem obiit

•Ad diligendum animo opus est, cum odium, quia vile et commodum est, tardis ingeniis facile comitetur. Diligere autem semper est audere, audendo enim **victoria paritur**.•

Quae verba neque evangelii praeco neque qui christianam religionem in terris disjunctis propagat, dixit, sed *Theodorus Heuss*, primus Foederatae rei publicae Germanicae praeses, maximo ingenio praeditus, litteris perpolitus, qui apud omnes gratia plurimum valuit, quem pridie Idus Decembres a. MCMXLIII mortem obisse valde dolemus.

Attingamus perbreviter id tempus, quo Germana res publica per infelix omnium paene gentium potentium bellum a. MCMXLV labefactata restituenda erat, postquam id victores concesserunt. Quod negotium suscepérunt in libera parte patriae nostrae a Russis non occupata socii omnium partium civilium, quae tum civitate, dominatu «mille qui dicuntur annorum», liberata denuo constitutae erant. Fuit in numero eorum, qui lapides materiamque ad popularem rem publicam reficiendam attulerunt, *Theodorus Heuss*. Quod concilium virorum in re publica versatorum a. MCMIL legem primariam Foederatae rei publicae Germanicae condidit, cuius prooemium infra scriptum est:

«Concius officii rationis Deo hominibusque reddendae et patriam ac civilem unitatem suam conservare sociusque aequalis civitatum foederatarum Europae paci omnium gentium servire semper studens Populus Germanicus in Badenia<sup>1</sup>, Bavaria<sup>2</sup>, Brema<sup>3</sup>, Hamburgo<sup>4</sup>, Chattia<sup>5</sup>, Saxoniam inferiore<sup>6</sup>, Rhenania septentrionali Vestfaliaque<sup>7</sup>, Rhenania Palatinatuque<sup>8</sup>, Slesvigia Holsatiaque<sup>9</sup>, Virtembergia Badeniaque<sup>10</sup>, Virtembergia Altozolleranaque<sup>11</sup>, ut rem publicam usque ad id tempus, quo denuo temperanda erit in ordinem novum adducat, ex auctoritate disciplinae constituendae hanc principem Foederatae rei publicae Germanicae legem sanxit. Quid negotium publicum exsequens pro illis quoque Germanis, quibus huic legi condendae iuteresse permisum non erat. Nihilominus universus Populus Germanicus vocatur atque rogatur, ut suffragii jure libere exercendo unitatem libertatemque Germaniae perficiat».

Ergo libera atque populari re publica Germanica post sedecim annos iterum constituta cives suffragia tulerunt, magistratus deligendi erant cum alii

---

1) Baden. — 2) Bayern. — 3) Bremen. — 4) Hamburg. — 5) Hessen. — 6) Niedersachsen. — 7) Nordrhein-Westfalen. — 8) Rheiland-Pfalz. — 9) Schleswig-Holstein. — 10) Württemberg Baden. — 11) Württemberg-Hohenzollern.

tum praeses Foederatae Rei publicae. Quem summum civitatis novae honorem nactus est Theodorus Heuss, qui brevi propter comitatatem suam summa apud populum gratia floruit. Ortus ruricolis, venatoribus nautisque in Nicro<sup>12</sup> flumine victus ibi quaerentibus pridie Kal. Febr. a. MDCCCLXXXIV in oppidulo Virtembergico Brackenheim in lucem editus est. Postquam in gymnasio Heilbrunnensi testimonium maturitatis adeptus est, in studiorum Universitate Berolinensi Monacensique historiae artium disciplinaeque oeconomiae cognoscendae studuit, cumque perscienter disseruisset, quomodo in oppido Heilbrunna<sup>13</sup> vineae colerentur atque exercentur quantumque id genus agriculturae ad res oeconomics proficeret, doctoris dignitatem obtinuit. Deinde complures annos scriptoris diurnarii munere fungebatur, cum professor Magni Disciplinarum Civitum Athenaei Berolinensis evocatus est. Quo tempore bis legatus popularis in Germanici imperii publicum coetum legibus ferendis creatus est. Sed cum Hitler ille dictator a. MCMXXXIII rerum potitus esset, Theodorus dominis novis acerbe libidinoseque imperitantes non favens a munere professorio discedere coactus est. Tamen ei ex hoc otio non voluntario propter varium studium litterarum libris conficiendis edendisque uberes fructus capere licuit. Sed nonne scriptum apud Ciceronem videmus: «Est igitur fragilis ea fortuna populi, quae posita est in unius... voluntate vel moribus (*de rep.* 2, 28, 50).»? Ita, postquam bello terribili a. MCMXLV finito illius dictatoris opes eversae sunt, ii, qui praeteritis annis, ne saluti publicae prospicerent, impediti erant, iterum ad rem publicam accesserunt cum aliis tum Theodorus Heuss, qui a publica institutione administer virtembergensis, ut rationes disciplinae atque eruditionis restituerentur, enixe operam dedit, eodemque tempore factionem civilem, quae a libertate vocatur, cum aliis condidit. Quem litteris simul studioque fulcendi rei publicae deditum paucis post annis recentiorum rerum gestarum historiam in Universitate Artium Stutgardensi<sup>14</sup> profitentem videmus. Is cum a. MCMIL ad amplissimum honorem Foederatae Rei publicae Germanicae modo constitutae pervenisset, patria etiam tum ex bello quattuor annis ante finito permultis malis conflictabatur. Quis igitur eos numerare potest, qui foederis praesidem orantes atque petentes adibant, ut tota calamitate Germaniae cottidie ostium suum pulsari munusque sibi injuctum non laetum esse seque libentius professorem atque scriptorem mediocrem esse quam summo rei publicae magistratu fungi diceret. Sed, qua erat humanitate, quam optime potuit, unicuique opera, consilio, re consulebat, aderat proderatque. Juravit enim se omni ope atque opera ad salutem populi Germanici incubiturum, maximo ei emolumento futurum eumque a detimento defensurum esse.

Nihilominus id negotii difficillimi illi primo civi Germaniae occidentalis ejus temporis impositum erat ut nomen Germanicum, quod tum paene omnibus ex insolentissimo illo dominatu in odio erat, iterum in honorem adduceret. Atque haec Theodorus Heuss felicissime perfecit, nam aut viros civiles populorum olim hostium exceptit, aut ipse eorum terras adiit. Velut

12) Nicer, -cri (GEORGES), Nicer, cri (FORCELLINI): Neckar. — 13) Heilbronn — 14) Stutgardia-Stuttgart.

cum Angliam incolis indignantibus viseret, non graviter id tulit idemque Margaritam principissam ejusdem terrae, cum a. MCMLIV Bonnam<sup>15</sup> venisset, comissime appellavit dixitque secum omnes Germanos de ejus adventu gaudere. Hac in re oportet meminerimus ambos populos decem annis ante acerrime inter se pugnavisse gubernationemque utriusque populi, quae disrupta sint, cum benevolentia conectere intelligamus. Margaritam principissam vero quasi nuntiam bonae voluntatis venisse.

Quo studio animos hominum a nomine Germanico olim prorsus alienatos reconciliare cogitaverit, haec verba ejus satis ostendunt: «Confidimus —nisi ager non obteratur aut veneno stercoretur, sed communiter colatur—, fore ut fruges maturescant.

Sed illud concilium legis primariae condenda, cuius collegii Theodorus Heuss ipse fuerat, summam auctoritatem civilem penes foederis praesidem neque ullam fere potestatem in gubernaculis rei publicae tractandis esse voluit. Quare is, qua fuit excellentia ingenii, orationibus, quas habuerat quibusque de variis quaestionibus disserere studuerat, ad conformandas rationes rei publicae plurimum valuit. Ne omittamus tutorem et procuratorem illum rei publicae, quotiescumque facultas offerebatur, significavisse Germaniam per injuriam in duas partes discissam esse, eundemque pro virili parte de unitate redintegranda summo studio contendisse.

Ceterum in eo multae facetiae inerant, ut saepe animos audientium oblectaret. Cum enim apud medicos verba faceret, se —persaepe enim eum cum volumine tabaci videre potuisti— medicorum duas partes distinguere dixit, alteros, qui sibi fumum sugere permetterent, alteros, qui se id facere vetarent; ex quo perspicuum esse, cui parti maxime faveret. Quem, quocumque venisset, populares ejus libenter vidiisse non miramur. Sed ne sim longior, ex laudationibus, quibus eum acta diurna cumularunt, has laudo: «Foederis praesidis magistratum obtinet vir nemini invisus, vir magni ingenii atque benignitatis» (*Hamburger Anzeiger*, 13, 2, 1954) vel alio loco «Theodorus Heuss pater patriæ est. Vix enim quisquam virorum gubernacula civitatum nunc tenentium reperitur, qui tanta dignitate praestet, magnitudine animi excellat, multitudine doctrinae floreat» (*Generalanzeiger Bonn*, 15, 3, 1950).

Cum autem a. MCMLIX, postquam praesidis munere per decem annos functus est, ex foederis lege primaria magistratu se abdicavisset, in domo sua Stutgardiensi otio merito senectutis fruebatur. Quamquam fuit cum multis aliis, tum scriptoribus, poëtis artificibusque familiaris, tamen ii ad eum opinione rariores ventitabant, quod graviter tulit

Pridie Idus Decembres a. MCMLXIII mors eum e morbo diuturno liberavit. Cui de patria optime merito si laudem impertire animus est, commemoramus illud Ciceronis, quod scriptum videmus in Somnio Scipionis (13, 13) «omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur».

RUDOLFUS SCHMITT

# Epistularum inter socios commercium

Reverendo Patri J. M. Mir Palaestrae Latinae moderatori J. Basilius O. S. B.  
p. s. d.

... *Palaestra* mihi semper lectu jucundissima est, atque utilissima, in ea enim multa discere possum ad latine scribendum valde necessaria. In hoc itaque labore invicta perge constantia, ut ego quoque aliique lectores in latina lingua amplificanda alacriores in dies operam ponamus.

Speraveram fore ut te Argentorati viderem. Quae spes me moleste fellit. Aderant et Pater Jiménez et Pater Sidera et Pater Eichenseer aliique multi (dulcia capita!). De tua autem solitus absentia magnopere condoluimus.

De usu verbi «fumare» id tibi proponere volo. Scio equidem hoc verbum vim transitivam non habere, atque ideo latine scribi non posse: *Tabacum fumo*. Tamen, hac in re, verbum «sugere», mihi non omnino placet, cum linguae omnes recentiores non *sucer du tabac* dicant, nec *sucer la cigarette*, sed verbo utantur quod cum vocabulo *fumée* (fumus) cognationem habet: «*fumar, fumer, fumare, to smoke, cet...*»

Atque haec difficultas (ut mihi quidem videtur) evanescet, si verbum «fumare» cum ablativo adhibebimus: «*Tabaco fumo, hispanicis fumo, magno illo infundibulo fumabat...*» Hac de re quid tu censeas scire velim.

Hoc tandem anno (si Deus mihi faverit) paginas aliquot tibi mittere in animo habeo, quae, si tibi ita placet, in *Palaestra* possint inseri.

Vale in Domino, Pater carissime, et «oremus pro invicem ut salvemur».

FR. BASILIUS, O. S. B.

Scr. Dorniae, Kal. Jan.

*Josephus M. Mir, C. M. F., P. suo reverendo Caelesti Eichenseer, O. S. B., sal.*

Nunc tandem ad me delata sunt a cursore tabellario quae de Urbe Monaco sapienter, sollerter, pererudite scripsisti...

P. BASILIUS scribit quare verbum *fumare* latine non accipiamus...: «Scio equidem hoc verbum vim transitivam non habere, atque ideo latine scribi non posse: «*Tabacum fumo*... — Atque haec difficultas (ut mihi quidem videtur) evanescet, si verbum *fumare* cum ablativo adhibebimus: «*Tabaco fumo, hispanicis fumo, magno illo infundibulo fumabat...*»

Hic vero ablativus instrumentalis esse videtur ut in aliis verbis; similis etiam illis locutionibus: «*loqui lingua latina, lingua latina scribere*». Ac sane «*Petrus tabaco fumat*», haud multum abesse videtur a: «*vetus ara multo fumat odore; loca sulfure fumant*», cet. Hanc vocem adhibendam propugnabant P. Avenarius et P. Mangeot. — Quid tibi de hac nova ratione verbum *fumare* proferendi?

Ac quoniam de tabaco loquor, aliud tibi vocabulum perquirendum propono. *Infundibulum* haud plene placet — quamquam illud adhibui et probavi in *PALAEASTRA* L., id tamen reverentia motus feci in *praeclarissimos auctores*, ut Baccium, Holzer, alios—. Est quidem aliqua rei similitudo; sed mihi multo magis placet *fumariolum*; idque nomen, nova quidem significatione, proponere in mente est.

Quid vero tu de his?

Iterum, valeas, mi Pater.

*Fr. Caelestis Eichenseer, OSB., P. Josepho Mariae Mir, Domino dilectissimo, S.*

...Deinde paucis de verbo *fumandi* fortasse transitivē usurpando dicam quid sentiam. Evidem ante decem fere annos, quo tempore felicius Monaci eram, pridie Kalendas Octobres, i. e. die festo sancti Hieronymi, anni 1954, ad moderatorem commentariorum *LATINITATIS* romanae primam epistulam meam dedi, ubi cum alia tum haec scripsi nonnulla ad *LATINIT.* 1 (1953) 156 adnotaturus: «Mihi, fateor, multo magis placet, quod alio in loco proponitur: herbae Nicotianae fumum ducere (GUTHLING, Otto, *Deutsch-lateinisch [Menge-Güthling, Enzyklopädisches Wörterbuch der lateinischen und deutschen Sprache]* <sup>4</sup>, Berlin-Schöneberg 1951, pag. 468). Sed simplicitatis causa Johannes Rubenbauer, magister illustrissimus atque *Thesauri linguae Latinae* confi- ciendi adjutor celeberrimus, usum transitivum verbi 'fumare' esse putat atque arbitratur concedendum».

Velim autem legas, quae illo loco memorato dicuntur, ubi etiam scripta sunt haec: «Usus autem transitivus verbi 'fumare' a sermonis latini consuetudine omnino abhorret». Certe quidem haec difficultas quodammodo superatur, si id, quod fumo consumitur, casu ablativo instrumentalī dicitur. Hujus usus grammaticalī non pauci loci apud antiquos ipsos inveniuntur: THLL VI, 1 1538, 66-84; LUCR. 6, 460-752. VERG. ecl. 1, 43 Ov. epist. 1, 25 fast. 2, 193 SIL. 8, 432. 12, 332. ... ORIENT. comm. 2, 184 uno fumavit Gallia tota rogo. SIDON. epist. 2, 9, 3 edilibus nostris culina fumaret. — Sed verbum *fumandi* etiam apud antiquos jam transitivē usurpatum est: THLL VI, 1 1539, 1-10. STAT. Theb. 8, 400 obnixa acies pariter suspiria fumant. CAEL. AUR. chron. 3, 2, 43 ovi altera caverna calamo inseratur, altera vaporem fumet acceptum. — Ergo *fumare* transitivē usurpatum est tantum, quantum vaporem (*fumum*) emittere. Quae cum ita sint, videtur usus transitivus magis generalis monitu et permisso Johannis Rubenbauer, doctoris illius illustris, qui in *Thesauro linguae Latinae* [cf. PAL. LAT. n. 183: 33 (1963) 155] hoc lemma verbumque tractavit ipse tabaci amantissimus, non esse respuendus, ut dicatur «tabācum fumare, volumen tabaci (seu tabaceum) fumare, convolvulos fumare» [cf. PAL. LAT. n. 171: 30 (1960) 154-168].

Denique «fumariolum», quod nunc proponis, aliquatenus mihi probatur. Cujus vocabuli duo loci in litteris latinis antiquis exstant, qui sunt hi:

ThLL VI, 1 1535, 73.77: *fūmāriolum, —i n. i. q. 'locus, per quem fumus exit'*. TERT. *paenit.* 12, 2, 5 (CChL 1, 359). Quid illum thesaurum ignis aeterni existimamus, cum fumariola quaedam ejus (*sc. gehennae*) tales flamarum ictus suscitent ut proximae urbes aut jam nullae extent aut idem sibi de die sperent. PACIAN. *paraen.* 11 p. 125, 3 cuius gehennae fumariola quaedam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. — Sed hic videtur melius dicendum esse: «fumariolum sugere». Is autem, qui sive «tabacum fumat» sive «fumariolum sugit», commode dicitur «fumificus» (cf. ThLL VI, 1 1537, 3-9). Ceterum apud Plautum uno loco verbum invenitur, quod est «fumificare» (*Mil.* 421)...

*Carissimo amico atque Rdo. Patri J. M. Mir, J. Basilius O. S. B. s. d. p.*

Quod mihi has Patris Eichenseer litteras communicare, amice quidem et perhumaniter, voluisti, ex animo tibi gratias ago. Ea omnia attentissime legi, quaedam etiam excerpti.

Si autem benigne permiseris ut quid censem aperte profitear, haec mihi hodie videntur:

— *Fumificare* non omnino displicet, modo *absolute usurpetur*, ita ut cum eo neque accusativus neque ablativus adhiberi possit:

*Fumiflico:* «je fume (I smoke)»... Quia in re me fortasse nimis severum esse suspicor. Plautus enim «fumiflico» cum ablativo ponit (*Miles*, 2, 5, 2).

— Si autem nominandum erit id quod in fumum consumitur, tunc libenterius verbo *fumare* utar cum ablativo instrumentalis:

«Tabaco fumo, ille hispanica fumat»...

— Ut verbo *fumare* transitive uti possimus, P. Caelestis duo afferit exempla. Ea tamen non tantam vim habere visa sunt ut me ad assensum traherent.

— *Fumariolum* procul dubio multo melius est quam *infundibulum* ad id de quo agitur.

Ad «viam ferratam» quod attinet, doctissimus Professor Michaël Rambaud haec in conventu Argentoratensi; inter alia, exposuit:

— Vox anglica vel gallica «*rail*» originem dicit a voce latina «*regula*», (idem consentiunt lexica etymologica linguae gallicae, sive ab Alberto Dauzat, sive a Professoribus O. Bloch et W. von Wartburg edita);

— Itaque, si latine «*rail*» vertere volumus, nulla alia vox requirenda est nisi «*regula*». Id Michaël Rambaud non tantum suasit, sed etiam exemplis confirmavit quibusdamque textibus quos apud auctores antiquos invenerat. Locos notare infeliciter neglexi. Utinam mox in lucem proferantur hujus conventus Acta, in quibus haec omnia fusius et magis perspicue legere poterimus.

Vale, Pater carissime, et per dies solemnitatum Paschalium sacratissimos mei apud Dominum sis, quaeso, memor.

Tibi tuisque Deus abunde Paschalia gaudia largiatur.

Scr. Dorniae, die 17 mensis martii 1964.

J. BASILIUS, O. S. B.

# HORIS SUBSICIVIS

Non ita pridem, memor illius sententiae Platonis, qua docemur «*hominem non tantummodo sibi nasci*», haec disputanda sum aggressus, his praesertim qui sub magistri adhuc ferula agunt. Horis autem subsicivis illis legenda duxi, quoniam eo tempore haec mihi chartis prodere datum est, et ex alia parte mea ista vel opera vel industria parvi pretii videtur.

Jam vero, scriptores tum graeci tum romani, paene innumera suppeditant argumenta, quibus aut sententia naturalis moralisve aut laus virtutis aut censoria morum castigatio aut paecepta saluberrima continentur. Itaque sui officii saepius admonent judices, milites, nobiles, et privatos quosque torpentes excitant, languentes fovent, tristes solantur, imperitos rerum arguant, sciolos castigant, eruditos miris modis afficiunt, adulescentes docent, viros confirmant, senes fulciunt, et ad supremam illam metam festinantes gratis acclamationibus impellunt.

Quae cum ita sint, quid, quaeso, optimi adulescentes, vel appositius vel convenientius quam, cum mores nostris hisce diebus desideant et ire coepient praecipites, ab iisdem hominibus qui eruditionis et sapientiae laude excelluerunt, petere exempla, quae vel ad optimam vitae rationem, vel certe ad meliorem frugem, nos convertere possunt?

Sed vos diutius non morabor. Jam, si placet, de juventute sermonem instituamus: nam, ut dixi, cum ephebis res potissimum mihi est eritque deinceps. Sed tamen, ut liquet, nemo omnium ex hisce plagulis excluditur, nam iis etiam qui in munere seu publico seu privato versantur, philosophis nimis, doctoribus, ducibus, principibus atque privatis omnibus hominibus ad communia obeunda hujus vitae munera, suppellex hic offertur locupletissima.

Eratosthenes dicebat Deum juveni multa eximia dona tum in animo tum in corpore contulisse — quae semper augentur —, nempe magnitudinem, robur, formam, gratiam refulgentem, mentem confirmatam, prudentiam et orationem animi bonorum nuntiam. Multa ex artibus et scientiis ille lucratur. Quod si infortunium aliquod ei inferat morbus aut paupertas aut ignominia, singula perferre potest, et tanquam bonus athleta quemvis casum superat.

Quam ob rem ait Ovidius juvenilem aetatem robore et ardore aliis praestare:

•Fitque valens juvenis; neque enim robustior aetas  
Ulla, nec uberior, nec quae magis ardeat nulla est. 1.

---

1. *Metam.* 15, 207-208.

Ardor autem hujusmodi in causa est, ut juvenes facile regi possint, ipsi autem sese regere nequeant. Re vera, ut gypsum aut argilla dum est uda inquamvis imaginem facile sequitur fингentis manum, ita animi rudes, ut ephebi, ad omnem disciplinam sunt idonei.

Juventus autem, quae gravior est, senectuti similis est.

Immo, laudabiliorem et magis necessariam temperantiam in juvenibus quam in senibus esse dicebat Aristoteles, nam juvenes plus quam senes cupiditatibus tentantur<sup>2</sup>. Ac proinde Solon lege sanxit, ne quis admodum juvenis ad magistratum aut ad consultationes admitteretur, quamvis prudentissimus esset visus. Et scitu dignissimum est jusjurandum quod ephebi atheniensi rei publicae praestare debebant. His autem verbis exprimebatur:

•Non ignominia officiam arma sacra, neque deseram meum commilitonem, quocum junctus fvero. Dimitabo pro aris et focis, et solus et cum multis. Patriam non derelinquam deteriore statu, sed ampliore melioreque quam acceperim. Semper magistratui praefecto prudenter oboediam, et legibus constitutis parebo, atque alios quibuscumque plebiscitis. Quid si quis leges vel irritas facere vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed ulciscar et solus et cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum dili mihi testes at censci sunt.<sup>3</sup>

Verum tamen quamvis juvenes hanc sibi prudentiam et animi fortitudinem comparare pro viribus debeant, non vult Seneca tristitiam pae se ferant, nam juvenem laetitia decet, senem vero gravitas:

•Propria descriptis deus  
Officia et aevum per suos dicit gradus.  
Laetitia juvenem, frons decet tristis senem.<sup>4</sup>

Quandoquidem non frustra Eratosthenes juventutem veri comparabat, aetatem declinantem aestati et autumno, senectutem hiemi<sup>5</sup>. Haec animi laetitia ex juventutis ardore promanans, omnibus in rebus, sive adversis sive secundis, emori debet numquam, quippe quae in virtute fulta atque firmata, vim semper habet et viget. Nam ille juventutis ardor qui in solis viribus corporis constat extinguitur quam citissime:

•Juvenilis ardor impetu primo fuit;  
Languescit idem facile, nec durat diu  
ceu levis flammæ vapor.<sup>6</sup>

Ceterum, post hiemem denuo recurrit ver, et post senectutem nulla recurrit juventus.

Denique decet juvenes aemulari seniores, ut lactans pullus equae cursum comitatur; et, ut Plato dicit de mero aquae miscendo, furentem a sobrio temperari. Tria autem seniorum propria imitari curabunt: in animo temperantiam, in lingua silentium, in ore pudorem.

Temperantiam in animo, quia «juvenile vitium semper fuit regere non posse impetum»<sup>7</sup>. In lingua silentium, nam ut novella vitis copiosius gignit

<sup>2</sup> Topic. 3, 6 et Ethic. 3, 2. — 3. PLUT. Apoph., 12, 4. — 4 HIPP. 451-453. — 5. PLUT. Is Lacon., 9. — 6. SENECA, Octav., 189-191. — 7. SENECA, Troad., 250.

vinum, sed vetustior melius, ita plura loquuntur juvenes, sed utiliora senes. In ore autem pudorem, nam pudor cum semel periit, non redit; isque ipse, qui amisit eum, periit, ut ait Plautus: «Ego illunc periisse dico, cui quidem periit pudor».

Quae cum ita sint, optimi adulescentes, juventutis beneficia considerate, ut ex ea maximos in posterum fructus percipere possitis. Praesertim nolite nugis tempus eximere, nam deinceps recuperare si vultis, vobis liberum non erit. Persica ob id ipsum pluris veniebant, quod non durarent, nisi in triduum. Ita avidius rapiendum quod cito praetervolat, ut juventus.

In ea, inquam, estis aetate quae viribus quidem floret, sed a prudentiae maturitate procul abest. Et cum aetatis quoddam veluti ver sit, caret usum rerum et maturitate, vacua est consilio, inopia judicij laborat, expers est gravitatis. Idcirco omni studio et cogitatione virtutem complectamini necesse est. Virtus autem est recta animi affectio per se ipsa laudabilis, cuius laus in actione consistit. Virtus una altissimis defixa radicibus labefactari non potest. Illa sola homines nobilitat vobisque omnia conciliabit: «Nobilitas sola est atque unica virtus».<sup>8</sup>

Ei igitur operam studiumque conferatis oportet, nam vim magnam habet ad beate vivendum. Illa duce «caelo mox aderis, teque astra ferent».

LEO M.º SANSEGUNDO, O. S. B.

## PALAEASTRA LATINA

			<i>Errata</i>	<i>Corrigē</i>
N. 183. — M. Septembri a. 1963 —	p. 143 v. 3	dum	cum	
	p. 146 v. 13	amplus	amplius	
	p. 146 v. 19	Franciscus	Franciscum	
	p. 146 v. 27	ope	opes	
	p. 146 v. 35	duramque	duraque	
N. 184. — M. Decembri a. 1963 —	p. 176 v. 5	rideat	niteat	
	p. 176 v. 8	reget	regat	
	p. 187 v. 9	ei gratiam	ei gratia	
N. 185. — M. Martio a. 1964	p. 251 v. 25	mente	mento	
N. 186. — M. Junio a. 1964	p. 306 v. 10	circumicit	circumilit	

8. JUVEN., Sat., 8, 19 ss.

# BIBLIOGRAPHIA

FR. PICHLMAYR. — *Sextus Aurelius victor de Caesaribus*. Lipsiae, in Aedibus B. G. Teubneri, MCMLXI.

Huic volumini praecedunt «Origo gentis Romanae» et «Liber de viris illustribus urbis Romae». Subsequitur vero «Epitome de Caesaribus». Olim recensuerat opus clarus vir Fr. Pichlmayr. Modo autem vulgatur editio stereotypa emendatior, cui quidem addenda et corrigenda collegit et adjecit nobilis latinorum litterarum Professor, R. Grvendel.

Non nullae in praefatione (pp. V-XXIV) quaestiones agitantur de libri argumento, de S. Aurelii Victoris vita ingenioque, de libellorum auctoribus «De Origine gentis Romanae» De viris illustribus urbis Romae, de «Epitome», de codicibus, cet.

Magno opere liber in usum commendatur indicum emolumento (pp. 177-211): qui sunt indices nominum (Origo, Viri illustres, Caesares, Epitome). Postremo addenda et corrigenda coaptantur.

Aurelius Victor, quod legentibus notum est, in libello cui titulus *Caesares vel de Caesaribus*, vitas imperatorum ab Augusto ad Julianum ex optimis fontibus deductas et nitide exaratas prosecutus est. Aurelio Victori tribui solent etiam duo alii libri: *De viris illustribus* et *Origo populi romani*; sed, cum longe absint ab ea praestantia, quae in libello *De Caesaribus* enitet, posterioribus saeculis tribuendi esse videntur. Rem ab ovo clarissimus hujus libri concinnator explicat.

DAMON, PHILIP. — *Modes of Analogy in ancient and medieval verse*. University of California publications in Classical Philology, vol. 15. N.<sup>o</sup> 6, pp. 261-334. University of California press, Berkeley and Los Angeles, 1961.

Variae analogiae rationes in pristino et in medii aevi versu, a clero v. Philippo Damon in hac lucubratione expllicantur. Excerptum est a nobili commentario Californiensis Universitatis «Classical Philology»; cuius est totius libri index:

I. *Homer's Similes and the uses of Irrelevance*. II. *Sappho's Similes and the Uses of Homer*. III. *The imago Voci in Vergilian Pastoral*. IV. *Echoes and Other Noises in the Latin Pastoral*. V. *The Troubadour Nature Introduction and Some Other descriptive Traditions*. VI. *Dante and the Verace Intendimento of the Nature Introduction*. Appendix: *Dante's Canzoni and the «Allegory of Poets»*.

PHILOPONUS, C. M. F.

L. BUNDY, ELROY. — *Studia Pindarica*, II. *The first Isthmian Ode*, vol. 18, N.<sup>o</sup> 2, pp. 35-92. University of California Press, Berkiley and Los Angeles, 1962.

Aliud ejusdem Commentarii scriptum, quo completur superior de Pindoro lucubratio, cui titulus: *The Eleventh Olympian Ode* (Univ. Calif. Publ. Class. Phi-

lol. 18 (1962) 1-34). Brevi, eaque solida, de proposito data introductione, ita procedit hujus libri clari viri Bundy cursus.

I. *The Opening Foil*, Lines 1-13: *Prooimion*. II. *The First Crescendo*, Lines 14-32: *Kastor and Iolaos*. III. *The second Crescendo*, Lines 32-40: *Aso-podoros*. IV. *The Third Crescendo*, Lines 41-63: *Herodotos*. V. *The Concluding Crescendo*, Lines 64-68: *Prayer for the Future*.

Uterque libellus a Californiana Universitate laurea est donatus, quod et studiosus lector recte probabit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

**RAYMOND BLOCH.** — *Los orígenes de Roma*. — **GRIMAL PIERRE.** — *Las ciudades romanas*. Vergara Editorial, Barcelona.

Hi libelli ex nobili sunt corpore «*Nuevos Horizontes*» in quo edendo domus Editrix Vergara laborat. Clarus vir R. Bloch conscriperat opus proprium «*Les Origines de Rome*», quod in vernacula lingua apte convertit Professor historiae Raphaël M. Bofill.

Quamplurima de primordiis urbis Romae ab auctoribus sunt conscripta, neque facile historiam a mytho separare. Vir historicus Bloch rem altius acumine acri repetit hoc in volumine, cuius haec quidem synthesis. I. De situ Romae. II. Fabulae de Romae originibus. III. Mythologia comparata. IV. Italia primaeva. V. Latium vel Roma primaeva. VI. Conditio Romae. VII. Praecipuae notae Romae etruscae. VIII. De rei publicae constitutione de praecipuisque eventis historicis priorum temporum rei publicae romanae.

Idem hispanus interpres in hispani-

cum convertit librum ab scriptore Petro Grimal exaratum, cui quidem titulus primigenius «*Les Villes Romaines*». Amplius de re propositoque in praefatione disserit auctor, qui hac ratione librum dividit. I. Principia generalia de «urbanismo romano». II. Explicatio «Romae urbanae». III. Monumenta urbana. IV. Non nullae civitates eximiae.

Interpres appendicem subjungit de tribus civitatibus romanishispanicis Emerica, Barcinone, Tarracone; quae appendix opus doctoris P. Grimal summopere perficit. Bibliographia, magni quidem momenti ad rem plenius explorandam et noscendam.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**A. TRAINA.** — *L'alfabeto e la pronuncia del latino*. Seconda edizione aggiornata. Casa Editrice Prof. Riccardo Patron. Bologna, pp. 98.

Anno 1957 primum editus est hic liber, qui denuo sine mutatione est excusus. Nuperrime vero in melius comparatus, vulgatur a clarissimo viro A. Traina, de latinis litteris bene merito.

Liber, quod ipse fatetur auctor, in Universitatis scholis ortus, Universitatum alumnis in primis praebetur. Quod si ejusdem argumenta non sunt novi excusoris, bene tamen doctrinae hujus temporis aptatur nitida, critica, distincta explicazione.

Tres sunt latini sermonis, ex auctoris sententia, pronuntiationes: 1) Diversae pronuntiationes nationum (*le varie pronunzie nazionali*). 2) Pronuntiatio ecclesiastica romana (*la pronunzia ecclesiastica romana, che è sostanzialmente quella italiana e — se si eccettui la distinzione fra vocali larghe*

e strette, trascurata nella pronunzia italiana — risale direttamente al basso latino). Pronuntatio classica (la pronunzia «classica»).

De pronuntiatione autem ecclesiastica romana, sic se habet clarus auctor: «Questa pronunzia fu raccomandata da Pio X a tutta la Chiesa Cattolica. È probabile che essa riceva nuovo impulso dalla costituzione apostolica «Veterum sapientia» (pag. 30). Magno opere commendamus opellam lectoribus, qui de re certiores fieri cupiunt. Alphabeti et pronunciationis latinae primordia, una cum selectiore bibliographia, animo percipere valebunt.

**GEORG ROHDE.** — *Studien und Interpretationen zur antiken Literatur, Religion und Geschichte.* Walter de Gruyter et C. O. Berlin.

Doctor G. Rohde sapientissimus est interpres Vergilii, cuius quidem cum vitam tum opera maxime calluit, atque ea fere innumeris lucubrationibus in alumnorum commodum exposuit.

Hoc vero in volumine, tanquam florilegium exhibit lucubrationum, hinc inde editorum, quae selecta sunt monumenta de antiqua re litteraria, de religione de pristina historia.

Notandae in his disputationes: De Vergili eclogarum forma et indole; de Bucolicon historia; Cicero et lingua; Propertiana; Aedes Juventutis; munus vatis in antiquitate; de lectione apud antiquos, ceteris.

Liber ampliae eruditionis impensique laboris, quem libenter perlegent evolventque humaniorum litterarum cultores.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**A. ROUSSEAU-LIESSENS.** — *Géographie de l'Odyssée. Les Récits* (1<sup>re</sup> partie). *Enquête.* Brepols, Bruxelles. Pag. 134.

Bonarum litterarum magistra A. Rousseau-Liessens, postquam comperit, historia duce — ut in superiore volumine «Géographie de l'Odyssée» ipsa defendit —, esse Istriae ponendum solum vel commorationem Phaeacorum gentium, in qua non nullae evenerunt mirae res quibus quasi picta est mens vatis Homeri in conserendo suo nobilissimo opere: evulgit, hoc in primo tomo alterius voluminis lucubrationes et documenta, quae referuntur ad Lotophages et Cyclopem (carmen IX) atque ea quae pertinent ad Aeolum et Lestrygones (carmen X).

Maxima sapientium concordia et laude cumulatae sunt explicationes criticae clarissimae graecitatis magistri. Magno opere librum decorant non nullae photographiae, complementi causa, sub fine appositae. «Ce petit livre est étonnant et savoureux» (PIERRE DEMEUSE, *Le Peuple*, Bruxelles).

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**AE BOER.** — *Heliodori, ut dicitur, in Paulum Alexandrinum commentarium.* Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri a. MCMLXII. pag. XVI-182.

Jam diuturnus cursus nobilissimae Bibliotheca Teubneriana feliciter prosequitur, cuius moderator est clarus Professor Doctor Johannes Irmscher. Volumen autem hoc typis imprimendum curaverunt Bruno Doer et R. Mueller. Atque interpretationes astronomicas addiderunt O. Neugebauer et D. Pingree.

Commentarium ad Pauli Alexandrini

elementa astrologica compositum nonnulli libri manu scripti, a saeculo XIII usque ad saeculum XV/XVI, nobis tradiderunt. Iis interpretandis explicandisque egregii sapientes navorunt operam, in quibus praeclarus vir Ae. Boer. Proces-sus historicus, criticus, in praefatione fusi-sus exhibetur.

Libri manu scripti, qui commenta-rium continent, sollerter dignoscuntur, quibus et aequa adscribitur litteraria aestimatio. Textus graecus quam accu-ratissimus praebetur, apparatu critico perscienter ornatus. Cui eruditae interpre-tationes, ab O. Neugebauer confec-tae, annexuntur. Index, qui plus triginta paginis constat, quasi musivum artis criticae opus merito dicas. Textus haud paucis difficultatibus verum adminicu-lum est solvendis et extricandis.

PHILOPONUS, C. M. F.

J. ANDRÉ. — *Pline l'Ancien. Histoire Naturelle, livre XVI.* Texte établi, traduit et commenté par J. A. Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, 1962.

Nemo, ut ajunt, Romanorum in om-nibus artibus excultior, nemo ejus aeta-te doctior Plinio fuit. In omni disciplinarum genere excultus, nullum fere ge-nus intentatum reliquit. Inscriptiones li-brorum, quos in lucem edidit, ex epis-tula Nepotis (III, 5) cognoscimus: De jaculatione equestri liber, De vita Pom-ponii Secundi, Bellorum Germaniae libri XX, Studiosi libri III, Dubii sermonis libri VIII, A fine Aufidii Bassi libri XXXI, Elec-torum commentarii CLX.

Omnia haec perierte, sed tempus maximum opus Plinii incolume servavit, Naturalem Historiam in XXXVII libros

distributam. Claro latinarum litterorum Professori J. André debetur editio hujus modi libri XVI Historiae Naturaे Plinii. Et textum perpolavit, et eum gallice est interpretatus commentariisque plurimis locupletavit.

Libro autem XVI continentur silves-trium arborum naturae, his praesertim partitionibus: De glandiferis; quam multa praeter glandem ferant eadem arbo-res; quarum arborum materiae in pre-tio; differentiae arborum per corpora et ramos; naturae differentiae non omnia ubique generantis; de aquaticis, cet. Appositis nominum et rerum indicibus opus aptius ab auctore est dispositum.

PHILOPONUS, C. M. F.

R. L. VERDIER. — *Exercices pour le cy-cle d'observation.* Librairie Hatier, 8, rue d'Assas. Paris - 6<sup>e</sup>, pag. 144.

Clarus vir Rogerius L. Verdier emeri-tus paedagogus est, qui alumnis opere verboque doctrinam quasi condit suavis-sime. Liber hic summa exercitationum est, ubi et ratio et modus fere latent. Magistri erit tanquam ludi leges exigere. Alumni vero expromere, quid sciat, quo-modio laboret, ad quoniam rem sit prae-primis idoneus. Amborum igitur consuetudine atque studio probata institutio animorum exsurget.

Index simplicissimus: *Avertissement* (pp. 2-4); *préliminaires* (pp. 5-11); *pre-mière étape* (pp. 12-40); *deuxième étape* (pp. 41-72); *troisième étape* (pp. 73-118); *le latin* (pp. 119-120); *vers le latin* par l'analyse (pp. 121-132); *lectures d'initiation à l'antiquité romaine* (pp. 133-143).

Liber diversis quaestionibus scatet; picturis selectis et jucundis aspectu ple-

nus; liber, paucis, amicissimus pueris: «Il deviendra un de ces amis comme il faut, à la fois riche de bienveillance et sans faiblesse».

**BARBARIGA, Rocco.** — *Castidad y Vocation*. Editorial Herder, Barcelona, 1963, pag. 250.

Veram paedagogiam castitatis dices hunc doctrinae plenum librum. Prior in editione, quod ipse fatetur clausus auctor, ejus propositum fere unum in seligendis ordinandisque variis praeclariorum scriptorum locis de argumento.

Agitur sane de opere paedagogico maximi momenti, in virtute castitatis cum vocatione sacerdotali et religiosa comparanda et conjungenda. In primis, auctor lucide «problema», ut dicunt, instaurat, qui mox velut exemplar proponat perfectae castitatis in coelibato ecclesiastico. Quam cum magnis vitae sacerdotalis mysteriis comparat.

In altera operis parte de alumno educando, in altera vero de magistro educatore copiose et dilucide agitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

**J. COUSIN.** — *Ciceron. Discurs pour Caelius, sur les Provinces Consulaires, pour Balbus*. Tome XV. Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, Paris, 1962.

In Ciceronis operibus longe praestant orationes quas vel ad populum vel in senatu ipse habuit. Praeter viginti fragmenta, XLVII vel integrae vel fere integrae adhuc exstant.

Clarissimus vir Joannes Cousin, in Universitate Vesontionis Professor, hoc in volumine orationes M. T. Ciceronis

collegit Pro Caelio, De Provinciis Consularibus, Pro Balbo. Unicuique criticas notas adjunxit, studio ingenioque exaratas, quibus textum latinum cum critico apparatu addidit una cum gallica interpretatione. Hoc volumen decimum quintum est in collectione operum Ciceronis. Opus vero probavit egregius latinorum litterarum Professor Ed. Galletier.

His commodum in orationibus, ut in omnibus a M. Tullio prolatis, omnia, quae in optimo oratore desiderare possumus, facile deprehendimus. Ideo intima nobis aestimatione habenda opera quae ad easdem explicandas evulgantur, maxime cum de magistris peritissimis agatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**LEUMANN-HOFMANN-SZANTYR.** — *Latinische Grammatik*. Erster Band: *Laut- und Formenlehre* von Manu LEUMANN, Ord. Professor der Indogerman. Sprachvergleichung in Zürich, pag. XVI-392 — *Latinische Syntax und Stilistik* von J. B. HOFMANN, neubearbeitet von Anton SZANTYR, Redaktor am Thesaurus Linguae Latinae. Erste Lieferung (pag. VI-396); Zweite Lieferung (Pag. XII, 397-842). C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, MCMLXIII.

Multa adhuc edita sunt opera quae de grammatica latina sedulo accurate que agunt; viri tamen docti jam dudum novam illam grammaticam exspectabant, qua universa continerentur, quae de re a praestantissimis scriptoribus vulgarata sunt; idque per ample et scienter doctores Leumann, Hofmann, Szantyr perfecerunt ante oculos et in manibus

habentes eximia quae reliquerunt opera F. Stoltz et J. H. Schmalz. In qua paranda et edenda tantam adhibuerunt curam ut in multas aetates hoc grammaticae latinae monumentum summo honore viri sapientes habebunt.

Primum operis volumen est de Phonetica et Morphologia, quod aliquot abhinc annis maxima sollertia clarissimus doctor M. Leumann paraverat et nunc, quin nova addantur, rursus eadem proponuntur. Idque in maximo laboris pretio est habendum. Index vero libri est: Quo loco sint nostra aetate studia linguae latinae (pag. 1-36); prooemium (pp. 39-43); phonetica (pp. 44-189); morphologia (pp. 190-344); addenda, et rerum vocabulorumque indices (pp. 345-392). Vel ea quae nuper inventa et edita sunt de phonetica et morphologia latina hoc volumine continentur.

Alterum vero operis volumen tribus constat partibus vel tomis, quorum duo adhuc editi sunt. Opus quod antea praeclarus doctor J. B. Hofmann paraverat, nunc diligentissimus vir Antonius Szantyr, *Thesauri Linguae Latinae conscriptor*, magna cura recognitum, edidit.

Primus vero tomus, qui germanice inscribitur *Lateinische Syntax und Stilistik*, haec doctrinae argumenta completitur: genus, numerus, casus, adjectivum et adverbium, pronomen, numeralia, praepositiones (pp. 5-286); genera verbi, modi actionis, singula tempora, modi, verbum infinitum (pp. 287-396).

Secundus vero tomus complementum syntaxis est, cui quidem et stili doctrina additur, a nonnullis «Stilistica» nuncupata. Liber ita procedit: De sententia vel oratione simplici: vocabulo-

rum dispositio, subjectum et praedictum, orationes unius pluriumque membrorum, oratio nominalis et verbi ellipsis, orationis partes, «concordantia», de peculiaribus orationis simplicis rationibus (pp. 397-468).

Deinde de oratione composita: coordinatio et subordinatio (pp. 469-682). Quam praecipuum syntaxis partem subtiliter et absolute auctor pertractat. Vel minutissimae de re quaestiones sedulo expenduntur, ac diligentissimae endantur.

*Doctrina de stilo (Stilistik)* complementum est hujus tomi. In tres commodum partes res tota distribuitur explicanda. I. Collocatio et conjunctio vocabulorum (pp. 689-721). II. De orationis et periodi constitutione (722-739). III. De enuntiatione et descriptione (pp. 740-838).

Tertius, isque ultimus, operis tomus jam jam edendus est. Vehementer illum exspectamus, qui quasi clavis erit ex multis indicibus totius operis hujus monumenti latinorum litterarum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

KOESTERMAN ERICH. — *Cornelius Tacitus*. Tom. II. - Fasc. 2. *Germania, Agricola, Dialogus de Oratoribus*. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri, MCMLXII, pag. XL-128.

Pristino Romanorum splendore deficiente et gloria, Tacitus, maximus historicus, natus est, qui, Trajani temporibus opportunitatem scribendi nactus, turbulentissimae aetatis suae vitia saevasque imperantium artes vividis coloribus ac summo mentis acumine descriptis.

Nonnulla Taciti opera ad nos pervenerunt; quorum tria hoc libro continen-

tur: Germania, Agricola, *Dialogus de Oratoribus*.

**Germania:** Mores, instituta, leges, religionem hujus populi, qui tunc bellum gerebat in Romanos, e multis fontibus deducta ac maxima diligentia explorata concinne et subtiliter eo consilio describit, ut corruptos Romanorum mores cum purissimis Germanorum conferat.

**Agricola:** Non tantum vitam Agricolae narrat, sed potius res ab eo in Britannia gestas et mores, indolem, vicissitudines populorum, qui illam regionem incolebant.

**Dialogus de Oratoribus:** Cum in scholis versaretur et oratores in foro perorantes libenter audiret, hunc librum scripsisse videtur, in quo causae exquiruntur, cur eloquentia multum declinaverit.

Praefatio eruditione plena volumini praecedit; quod uniuscujusque libri indice absolvitur. Apparatus criticus accuratissimus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**A. A. R. BASTIAENSEN C. M.** - *Observations sur le vocabulaire liturgique dans l'Itinéraire d'Égerie*. MCMXLII. Noviomagi in aedibus Dekker et Van de Vegt N. V. Nijmegen, Utrecht.

Illud librorum corpus cui index: «*Latinum Christianorum Primaeva*», a Jos. Schrijnen conditum est; edenda vero curant opera quae ad sermonem latinum christianum pertinent Christina Mohrmann et H. H. Janssen.

Clari scriptoris propositum ex libri inscriptione liquido appareat. Totum argumentum in quindecim capita dividitur: 1. *Populus christianus, personae*, 2.

*Liturgiae explicatio*. 3. *Sacrificium Eucharisticum*. 4. *Precum et officii nomina*. 5. *Cathechesis vocabula*. 6. *Symbolum*. 7. *Nonnulla vocabula ad dedicationem pertinentia*. 8. *Jejunium*. 9. *Quadragesima, Octavae, Pentecostes*. 10. *Laetitia*. 11. *Honor, honorare, honorabilis*. 12. *Ordo*. 13. «*Cerei*». 14. *Temporis praepositio in vocabulis liturgicis*. 15. *Notae quibus tota res compleetur*.

Nobilissimum illud opus «*Itinerarium Egeriae*» hoc libro penitus quasi anatomicae subicitur, eo tamen consilio ut christiana mens liturgicarum rerum potius lectoribus innotescat.

**FRISK, HJALMAR.** — *Griechisches etymologisches Woerterbuch*. Lieferung 14. Heidelberg, pag. 289-384.

Quartus decimus hic fasciculus nobilis dictionarii graeci etymologici, a clarissimo viro H. Frisk parati. Incipit vero fasciculus a vocabulo νάνος et compleetur etymologica explicatione vocabuli ὄψηπος. Magno opere in votis est hoc graecarum litterarum monumentum absolutum perfectumque in manibus habere; quod, ex sapientium sententia, longe omnium graecorum etymologicorum praestantissimum in multas aetas erit.

Non nullorum vocabolorum explicatio vera est rei quasi monographia, omnibus hinc inde doctorum excussis et enucleatis sententiis. Haud raroē tamen in etymologica disciplina lacunae. Modestia autem in dicendo, «Nicht sicher erklärt», «vielleicht», «ohne sichere Verwandte», vel maxime auctoris rei scientiam peritiamque ostendit.

Nihil autem dico de sollertia, Caroli Winter, Editoris, qui insigniora opera et

difficiliora Universitatis Heidelbergensis, perpetuo typis imprimit.

ERNOUT A. — *Pline l'Ancien: Histoire Naturelle, livre XXX.* Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, 1963.

Textum latinum, translationem gallicam, explicationem criticam hujus XXX libri Historiae Naturae Plinii comparavit clarus latinitatis Professor Alfridus Ernout. Quo uno auctore operis momentum patet. Ratio et via eadem, atque in ceteris libris in illa nobili bibliotheca «Association Guillaume Budé».

Accurata introductio, materiarum index, gallica translatio, textus latinus cum apparatu critico, copiosae eruditaeque adnotaciones, nominum et rerum index.

Quod ipse monet Plinius, hoc libro XXX, quae in aliis dicta, complementur. Superior liber erat de remediis arte medica suppeditatis: hic in primis est de remediis ab arte magica praescriptis. Non nullis de origine et historia magiae praemissis, praecipua argumenta innuntur: Reliquae medicinae per morbos digestae in animalibus quorum genera non sunt placida aut fera; Ἀχεράτων medicamentum; admiratio naturae nihil sine usu gignentis; ex volucribus; naturae benignitas et foedis animalibus inservit magna remedia.

H. BORNECQUE. — *In Catilinam Orationes.* Société d'Édition «Les Belles Lettres». Boulevard Raspail, 95, Paris, 1963. Pag. 82.

Catilinae conjuratio longe praestat in his quae evenerunt cum Cicero consulatum gerebat anno DCXC ab U. c..

Quattuor nobilissimae orationes in Catilinam maximum opus diceres M. T.

Ciceronis in foro Romano. Quae quidem ingenio, eloquentia, patrio amore potissimum fulgent; suntque eximum linguae latinae monumentum.

Hae vero orationes in Catilinam, ut saepe oratores romani fecerunt, scriptae sunt aliquo tempore postquam sunt habita; earum codices in tres ordines distribuuntur, et ad potiorum fidem textus paratus est. In multis qui de Catilinae coniuratione sunt libris, doctis viris hic summae utilitati erit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

TILL RUDOLF. — *Tacitus: Das Leben des Iulius Agricola.* Lateinisch und deutsch. Mit 7 Tafeln und 1 Karte. Akademie Verlag, Berlin, pag. 80.

Una cum vita Julii Agricolae, Tacitus historicus nobis tradit quasi «monographiam» de imperio romano in Britannia. Et latinis igitur litteris, et historioe pristini temporis Britannorum hoc opus peropporlunum. Doctor R. Till interpretatione textus germanico, introductione picturisque interjectis, lectori facilius biographiam reddit cognoscendam, deque illius aetatis adjunctis eruditè disserit.

In introductione agitur de vita, et opere Taciti; de Agricolae persona; de genere litterario, stilo, sermone, expositione; de traditione, conversionibus, bibliographia (pp. 1-13).

Deinde textus latinus cum opposito translatione germanica et cum apparatu critico (pp. 14-59). Tum historicoe, geographicæ, rhetoricoe, criticae explicaciones (pp. 60-75). Indices denique, tabulae pictae atque geographicæ. Opus editur duce Academia Scientiarum Berolinensi. Octavum est volumen in illa Bibliotheca, cui titulus «Schriften und Quellen der Alten Welt».

A MARQUÉS, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania 2'5 markis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

ANN. X — (FASC. II) — N. 38

M. JUNIO

A. MCMLXIV

# De ratione edendi apud Romanos

Sunt qui dicant Romanos edaces fuisse. Id autem generalim dicere non licet. Nam cum initio agricultae essent, iis vescebantur, quae agricultura praestabat: lacte, caseo, pane, fabis, olere, fructibus, modica carne.

Ter in die cibum sumere solebant: mane jentaculum, meridie prandium, vespere cenam. Multi mane parum panis sumebant vino intincti; quibus alii addebant caseum, mel, uvas, palmulas seu dactylos.

Prandium plerumque ex carne frigida, olere, fructibus vinoque modico constabat. Utrumque stantes sumebant. Cena erat lauta; brevis vel longa pro convivorum numero et finire solebat ante noctem. Qui mos usque ad rei publicae finem valuit. Post autem cum plurimae ex provinciis Romam divitiae confluxissent et pristini mores in dies magis depravarentur, cene degenerare coeperunt. Quo quis erat amplior ditiorque, eo lautiorem ac magis sumptuosam cenam apparabat et ad ostendendas divitias plures invitabat convivas.

Romani olim sedentes cenare solebant, uxores ad virorum pedes. Deinde in loco separato cenabatur, cui nomen triclinium. Tunc non sedebant, sed in toris discumbebant. Triclinia ipsa pro hospitis divitiis volde pretiosa erant, experimentis constrata et pulvinis discreta ternis discubentibus locum dabont. Qui, antequam in triclinium essent ingressi, calceos exuebant et dum cenabant, cubitum sinistrum in pulvinis nitebantur. Nomenclator advenientes renuntiabat et suum cuique locum assignabat. In mensa mappae, cultri, trullae, ligulae, cyathi erant. Romani furcillis, ut olim majores nostri, non utebantur. Quare pueri discubentium manus post singula fercula lavare et pannis abstergere consuerant. Nonnulla plerumque fercula apponebantur, postea fructus et dulcia, quae secunda mensa vocabantur. Nec deerant vina: Falernum, Caecubum, Samium, Massiliense. Romani autem non merum, sed aqua mixtum bibebant. Convivis ea, quae comedere tempus non patiebatur, secum domum ferre libebat.

N. MANGEOT, S. J. . .

# GALLUS ILLE «PASSIONIS»

Nundinae in quodam pago magna hominum frequentia celebrabantur, ad quas vir, cui nomen Philippus, cum duobus sociis prefectus est, ut asinam venderet et aliam parvo pretio emeret. Quos, ex eodem pago exentes, duo «aegyptiani»<sup>1</sup>, pater et filius, insecuri sunt. Philippus bene venditionem emptionemque perfecit, eique centum pesetas superarunt, quas in libelli paginis, quem secum semper gerebat, abscondit.

Cum autem amici in pagum redirent, se illis duo «aegyptiani» junxerunt atque simul in pagum pervenerunt, postquam saepe in via merum gustaverant.

Postridie vero Philippus libellum, in quo centum erant pesetae, sibi deesse animadvertit. Neque judex neque comarchus<sup>2</sup> in pago illo die aderant; Philippus igitur in Parochi domum venit; qui statim «aegyptianos» numeros illos surripuisse suspicatus est; qua re in domum suam eos arcessivit.

Cum omnes adessent, Curio<sup>3</sup>: «Si vultis, inquit, mala pessima vitare, quas hinc Philippus centum pesetas amisit, prodeant oportet.

Illi autem una voce se eas non rapuisse responderunt.

Tunc Parochus: «Post duas horas, quis numeros secum habeat, sciam.

Duabus interjectis horis, Philippus ac duo amici convenerunt.

Tunc Parochus: «Audistis, inquit, quicquam de «gallo Passionis»?

—De quo gallo? —respondit «aegyptianus».

—De «gallo Passionis», qui, cum Beatus Petrus ter Magistrum negasset, cantum edit, et is quem mecum ego habeo, ab eadem progenie ortum, mihi plurima furtu, quin nemo id animadverrat, aperuit.

—Manducavitne gallus, Firmine? —dixit Parochus aedituo<sup>4</sup>.

—Etiam, domine.

—Apparata sunt omnia?

—Omnia, domine; etiam olla supra mensam apposita est.

—Tu, Firmine, ad portam consiste, ut his qui adstant ostendas quo exituri sint. Vos autem singillatim intrate; in cubiculo ollam videbitis, in quam manum inducetis, atque per portam quae in viam dicit, manum aedito ostendentes, egrediemini. Qui in culpa sit cum in ollam manum inducat, gallus cantabit, ac quis numeros rapuerit, manifestum erit.

Philipus primus venit, deinde «aegyptianus» qui in ollam manum inducere non audebat. Cui Parochus: «Heus, mactel, inquit, si culpa caras».



—Adeo quieto animo sum, ut, quae nunc confiteor, milles verum esse asseram. Si vis inquisitionem in me fac... —Tunc «aegyptianus» manum, ut in ollam induceret, protendit, sed eam statim retinuit, ac velociter per conclave ransiens, manum mundam ostendit. Aedituus vero Curtonem vocavit qui ita «aegyptianum» reprehendit: «Quid fecisti? Gallus furtum tuum detexit. Affer mihi cito libellum et numeros; quos Philippo reddam eius mulierem quandam illos invenisse dicam».

—Pater, inquit «aegyptianus», ego a te postulo ut mihi hunc gallum venundes.

—Neque tamen id possum dum alium ex eadem stirpe non accipiam.

Et «aegyptianus» ille dum domum redibat, secum ipse commurmurebatur: «Male sit omnibus gallis qui a «gallo Passionis» ortum habent»...

ANTONIUS LUNA, C. M. F.

e 1.<sup>o</sup> Philosophiae cursu

1. aegyptianus: —nōm ex Aegypto advenisse vulgo creduntur — gitano; quos alii hamaxobii vocant, id est 'qui in hamaxis'. (= in plaustris) habitant' — 2. comarchus Id est 'qui pagum moderatur: alcalde. — 3. Curio Idem ac Parochus. — 4. aedituo, i: sacrificā.

# MIRA PRODIGIA

Tiburtius, facetiarum amans, quippe qui bona semper valetudine statut, in horto allio, caule, rapo arboribusque consito, olitoris artem exercebat.

Paleis textum insignem gestat in capite petasunculum<sup>1</sup> perpetuoque fumans in dentibus fumisugium<sup>2</sup>. Magnopere ipse in opere exercendo delectatur; omnia quaeque obvenientia ad ridiculum vel jocum convertens, suapte natura cunctis se dat et jucunditati.

Orto jam sole hortum intravit more solito et repastinationem incohavit.

—Heul Hei mihi! Me miserum! furiis accensa personuit vox; —rem miserandam atque mirandam quaequivit Tiburtius inclinato capite—.

—Paene actum de me est animaque meam tollis, hominum vaserrime, inquit vermis, caput inter glebas promens. In posterum ne adeo neglegentior sis, amabo, et curam habeo, insipiens, dum res tuas peragis.

Ligone deposito, volsellas manibus arripuit et in rosario putando operam insumpsit. —Eheul Radiis solis mihi expositae umbram adimis, tutubavit upupa<sup>3</sup>, saltu lepidissima. Tiburtius, pavore conterritus, os aperuit et totum hians, fumisugium laxavit et elapsum ex ore est.

—Rite omnia sunto, haec apud se hortulanus, somnia mihi videre videor. Ad somniandum cum nihil magis juvet quam supine jacere, molli super gramine stravit lacertosa membra. Attamen, fieri non poterat ut pace frueretur et tranquillitate diurna.

—Apage, longe a me! perstrepuit quidam...

—Quis es tu? rogavit olitor loto corpore contremiscens.

—Ille ego sum.., ego sum gryllus dum saltus ante oculos et nares Tiburtii germinat. Qui voce lassitus, trepidans loto corpore et petasum amiserat.



—Satis superque, haec apud se rusticus. Hoc sine dubio regnum tenent larvae aut lamiae. Ad diem crastinum omnia cedant oportet. Ac ligone umeris imposito, sibilans, abit in domum suam.

Ulmo interea ab alta senior sciurus idemque sapientior rem observans capit et nutat tacitoque ridens naso: «poenas dat, inquit, meritas animi parum liberalis. Si singulis inventum sortitus esset, opem illi auxiliumque alii praeberent minime invit. Hoc monitum sibi ipsi serviat atque consulat».

*Raimundus Sarmiento, C. M. F.*

1. sombrero. — 2. pipa. — 3. abubilla.

# SAGUNTUM, URBS OPULENTISSIMA



1. Paulisper animos affectos recreavit repentina profectio Hannibalis in Oretanos Carpetanosque, qui duo populi oppressi celeritate Hannibalis arma mota omiserunt.

Nec Sagunti oppugnatio segnior erat, nam Maharbal, quem praefecrat Hannibal, ita rem impigre agebat ut nec cives nec hostes ducem abesse sentirent.

2. Tentata deinde per duos est exigua pacis spes. Alco Saguntinus, insciis Saguntinis, ad Hannibalem noctu transiit; sed, cum nihil lacrimae moverent victorem et ab eo irato tristes ferrentur condiciones, transfuga ex oratore factus est, moriturum affirmans qui sub iis condicionibus de pace ageret.

Postulabatur autem redderent res Turdetanis, traditoque omni auro atque argento, egressi urbe cum singulis vestimentis, ibi habitarent, ubi Hannibal jussisset.

3. Tunc Alorcus Hispanus —miles Hannibalis et publice Saguntinis amicus et hospes— se pacis ejus interpretem fore pollicetur. Tradito palam telo custodibus hostium, transgressus munimenta, ad praetorem saguntinum, ut ipse jubebat, est duxitus.

4. Exemplo concursus omnis generis hominum factus est, et submota cetera multitudine, senatus Alorco datus est, cuius fuit oratio: «Si civis vester Alco, sicut ad pacem petendam ad Hannibalem venit, ita pacis condiciones ad vos rettulisset, supercavaneum hoc mihi fuisset iter. Ego vero, ne ignoraretis esse aliquas et salutis et pacis vobis condiciones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni...».

# AB HANNIBALE DELETUR III

5. Ad haec audienda, circumfusa paulatim multitudine, populi concilium permixtum est senatu.

6. Repente primores, secessione facta, prius quam responsum datur, argentum aurumque omne, ex publico privatoque in forum conferunt, et in ignem ad id raptim factum coniciunt, eodemque plerique semet ipsi praecipitant.

7. Ex eo pavor ac trepidatio totam urbem pervasit, sed et alias tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat, perque ruinam ejus cohors Poenorum, impetu facto, signum imperatori dedit nudatam stationibus custodiisque urbem esse. Hannibal totis viribus aggressus urbem momento cepit, signo dato ut omnes puberes interficerentur.

8. Captum oppidum est cum ingenti praeda. Quanquam plerique a dominis de industria corrupta erant, tamen et ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniae redactum est, et multam pretiosam supellectilem vestemque missam esse Carthaginem constat.



## RIDETE, PUERI!

## TEMPESTIVA PETITIO

—In thermopolio, o bone, permanere non potest, nisi aliquid petas.

—Indulgeas velim; tunc hispaniam cedo.

J. Iborra

## MATER INTERROGAT FILIUM

—Hodie, fili, in schola malus non fuisti?

—Minime, mater, semper in angulo stabam.

—Heri cecidit in caput meum cucurbita tam graviter ut confringetur.

—Quidnam, caput an cucurbita?

POETA. — Quid faciam? si multa nocte scribo, dormire nequeo.

ALIUS. — Lege quod descripsisti et dormies.

## IN SCHOLA

Magister interrogat discipulum dia agentem.

Magister. — Dic mihi Paule, quae est res familiaris in praesenti?

Discipulus. — Nondum litteras accepi; sed demus familiam valere.

R. CARALT.

1	2	3	4	5	6	7	8
		◆	◆		◆	◆	
◆							◆
◆							
					◆		
◆	◆						◆

## DE MORTE KENNEDY

Ante diem decimum Kalendas Decembres, hora octava vespertina, anno millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, manus quaedam saevissima in Praesidem Civitatum Foederatarum Americae tres glandes plumbeas projecit, qui in capite, in guture, in pectore vulneratus est.

Praefectus Tejanus, qui eum comitabatur, cum ambo autocineto vecti transirent per urbem Dallas, etiam vulneratus est.

Eodem temporis puncto Kennedy irruit in bracchia Jacobinae uxoris quae magna voce clamavit: «Non, nullo modo». Nulla mora facta transportatus est in optimum civitatis valetudinarium; sed nullum salutis remedium repertum est; nam post semihoram moriebatur Praeses junior Civitatum Foederatarum Americae, qui tunc habebat quadraginta et sex annos, et Praeses tres annos fuerat.

Barbastri.

Gr. GANÁN

In Turri vulgo «Giralda» tres viri inter se colloquuntur, et

Anglus: «Per Angliam!» Et statim se praecipitat.

Item Italus: «Per Italiam!» Et similiter se dejicit.

Baeticus vero, ex Hispania: «Per scalas!» Et descendit gaudens.

Norbertus Hernández Vega,  
e III C. Latinitatis in Seminario Canariensi

## VERBORUM AENIGMATA

IN TRANSVERSUM. — 1) Dux Romanus. 2) Conjunction advers. 3) Nomen piscium (Plur.). 4) Foetidus. 5) Insula Italiae. 6) Vulcani filius ab Hercule suffocatus (genit.). (Ltt. vers.) Littera graeca (litterae). 7) Adverbium. 8) Pronomen. Pronomen personale

AD PERPENDICULUM. — 1) Tranquillitas. 2) Piger (fem.). 3) Flectit. 4) Pronomen interrogantis. 5) Emisi. 6) Scholae conclavia. 7) Comedit. 8) Pronomen Praepositio.

Claudius Ojeda Pérez  
e III C. Latinitatis, in Seminario Canariensi

## Da mihi spongiam et citharam

Gilmarus regno Hilderici, ultimi Vandalorum regis injuste potitus, ipsum cum tota familia in vincula dederat. Quod ubi Justinianus imperator audiit, Belisarum ducem cum maximo exercitu et classe misit ut crimen tantum ulcisceretur. De cuius adventu Gilmarus certior factus Hildericum cum omnibus suis e medio tolli jussit ipseque in Maurorum fines profugit.

Dum in arce obvideretur, a tribuno Phara per nuntium petivit, ut sibi panem, spongiam citharamque daret. Qui cum non intellegeret, qua de causa ista peteret, Gilmarus respondit se panem petere, quod eo diu caruisset; spongiam, ut lacrimas, quibus conficeretur, abstergeret; citharam ut calamitatem suam leniret. Misit Phara optata.

Gilmarus, ditione facta, Constantinopolim missus a Justiniano imperatore, qui Vandalorum fortitudinem et corporum proceritatem summi faciebat, vespere purpura est indutus. Aliquando cum in circo maximo constitisset et imperatorem in throno sedentem et populum circumstantem aspexisset, fortunae variabilis memor illud Salomonis cithara comitante cecinit: «Vanitas vanitatum et omnia vanitas».

N. MANGEOT, S. J.



### INSANIEBAT...

Nunc prorsus nescio cur curram!... Num quia taurus me insequitur, vel quia pluvia defluit; aut potius quia de carcere effugi, aut tandem ex illo pileo qui de capite meo evolavit?...

JOSEPHUS MELÉ

MAGISTER. — Dic mihi duas res inter se adversas.

DISCIPULUS. — Risus planctusque.

MAG. — Et quid inter utraque interjacet?

DISCIP. — Nasus...

*Angelus M.<sup>a</sup> Montreal*

Moderatores societatis inter se colloquuntur. Antonius postulat ut quidam puer, quem protegit, in officio excipiatur.

— Quid facere puer scit?  
Nihil fere, parum labori vacat.

— Apagel Praestans locus' in officio nostro ei dandus erit?

*J. Jiménez  
Barbastri.*

### SOLUTIONES

PAL. LAT. n. 185, p. 284-85-  
86-87.

PAL. ADULESC., n. 37, p. 4-  
5-6-7.

### TRIANGULUS MAGICUS

M I R I U S  
I N E S T  
R E T I  
I S S I  
U T  
S

### QUADRATUM MAGICUM

O	V	A
V	I	R
A	R	A

### SCALAE SUBLIMES

Ad mor-tem te Ca-ti-li-na du-ci jus-su con-su-lis jam pri-dem o-por-te-bat (Cicero).

### AD SALTUM EQUI

Fluunt dies et irreparabilis vita decurrit (Seneca).



## HOMERI EPIGRAMMA XIII

Sunt decori patribus pueri, decori urbibus arces;  
Gloria cornipedes campi, navesque fretorum.  
Divitiae exornant aedes, proceresque — peritum  
Concilium — egregii species gratissima vulgo est.  
Ast ubi saevit hiems et fert Pater ipse pruinias,  
Laetior est visu claro domus igne renidens.

*Herbertus H. Huxley*

Mancunii.

Susceptum perfice munus.  
Oculus domini equum saginat.  
Continua messe senescit ager  
Sol omnibus lucet.  
Dum loquor hora fugit.  
Omnis labor optat praemium.  
Nescis quid vesper serus vehat.  
Noli miscere sacra profanis.  
Qui patitur vincit.  
Fortuna meliores sequitur.

### QUADRATUM MAGICUM

	1	2	3	4	5
1					
2					
3					
4					
5					

1. Quid duces post bellum fa-  
[ciunt?]
2. Quid deest homini mortuo?
3. Qui habitant in urbe?
4. Quid gravius quam vendere?
5. Si non es femina...

## TENTORIA MOVAMUS!

MUSICA VULGARIS

JESUS ARAMENDÍA latine aptavit

Ten to ri a an te lu cem mo va mus gnavr  
 a ter, mon tis que su pere mus cul men a la cri ter;  
 dor mi re nan li oet, sur ga mus lm pi gre; cli-  
 tellas, o bo ni, tol la mus, co mi tes  
 la la la la la la la la  
 la la la la la la la

# B I B L I O G R A P H I A

G. SCHWIEDER. — *Latine loquor*. Editio altera. Casa Editrice Herder, via Norico, 6, Roma, pag. 348. — L. 2.000 — DM 16.

Quo pacto nova haec editio parata sit, hisce clari auctoris verbis patet: «Iteratim ab editore rogatus et ab amicis impulsus, interveniente etiam Apostolica Constitutione «Veterum Sapientia» de latinitatis studio provehendo, tandem animum induxi ad alteram hujus operis editionem parandam. Haud pauca emendavi et indicem riorum vocabulorum adjeci. Utinam haec editio eandem benevolentiam ac illa prior nanciscatur».

Ratio vero ac via hujus operis, scite distinguitur illis prooemii verbis: «Latinitas hic facilis quidem sed semper emenda, perspicua, profluens; haud raro Tulliana prorsus, aureae dixeris aetatis; saepius ex inferioribus hausta scriptoribus; interdum ex novo plane excussa, idque nec sine causa nec sine arte».

Quinque porro libris tota ordinatur compositio, neinpe: «I. Liber primus est de rudimentis et primis studiorum initisi, et quo primum discipulorum inter se deinde ipsorum cum praceptoribus colloquia continentur. II. Secundus est de litterarum studiis rebusque eo pertinentibus et exercitationibus ludicris. III. Tertius, de moribus aliisque extra litterarum studiis actionibus. IV. Quartus, qui de praceptoribus vel iis, quae pro praceptoribus obtinent, cum discipulis colloquia continet. V. Denique quintus, de rebus gravioribus et quae judicium postulant atque exercent».

Re vera latinarum litterarum studiosus sensim tanquam amica manu ducitur, qui expeditorem tandem latinum, eumque quasi patrium, sermonem adhibeat. Merito Dioecesanum Commentarium Turnacense sic de opere scripsit: «Ce volume, bien pensé, bien écrit, bien composé, y aidera grandement». Etenim adminiculo utili facilique iis erit, qui latinam linguam usu cottidiano adhibere volunt.

ZAMORA VICENTE, ALONSO. — *Lope de Vega: Su vida y su obra*. Editorial Gredos, Madrid, pag. 294.

Hoc libro incohatur novum corpus «Bibliothecae romanicae hispanicae». Hac vero collectione domus Editrix Gredos sibi proposuit: legentium animos permovere in intimam linguae hispanicae et rei litterariae aestimationem.

A. Zamora egregie exponit et explicat vitam et opera hispani vatis Lope de Vega. Absolutum dicas opus, ubi prosa et versus, lyrica, epica, dramatica menti subicitur, quin ullus aspectus in scriptis praestantissimi vatis desideretur.

Libri index generalis sic habetur: Hispania tempore vatis Lope de Vega; ipsius vita; opera: quae ita ab auctore distinguuntur: opera solitae orationis; poëmata narrativa; lyrica; scaena tempore vatis; indeoles theatri, argumenta...

Et serie selectarum tabularum pictarum ornatur liber. Quem valde studiosis hispanarum litterarum commendamus: nam ibi aliam Hispaniae vitam, quasi ex litteris factam, oculis animisque perciipient.

I. GO NZÁLEZ, C. M. F.

JEREZ, HIPOLITO, S. J. — *El educador de un imperio*. Editorial «Sal Teriae», Santander, pag. 306.

H. Jerez novum de Horatio librum —modo in discipulorum maxime mne-mosynon—, editum voluit. Prima de libro censura ab auctore recepta, sic se habebat: «El título sugestivo y real —*El educador de un imperio*— podría traducirse en este otro, tan real y valioso como el del autor: *Filosofía de la poesía Horaciana*».

His sane verbis egregii Professoris propositum, in exarando libro, expromit. Monographia de Horatio ex sententia auctoris in ambitu civitatis romanae, quae cultus hodierni quasi specimen et exemplar sit; quare in hoc opere amplum classicae latinitatis monumentum in unum redigere, genere dicendi facili, florido eruditoque, contendit. Philosophia autem horatiana his praesertim locis a clarissimo scriptore contrahitur: De usu et consuetudine Romae atque Athenis; amavitne Horatius naturam; Pallida mors; paupertatis Philosophus; novitne Horatius Biblia; Ethica horatiana; Quidnam rei docet Horatius...

Horatianam musam toto animo totoque ingenio coluit P. Jerez, eamque jugibus magisterii annis discipulorum mentibus sedulo infigendam curavit. Neque immerito; vel ab ostracismo ipse Ovidius Horatium desiderabat: «Et tenuit nostras numerosus Horatius aures, / Dum ferit Ausonia carmina culta lyra» (*Trist*, 4, 10).

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

RENARD - DUYSENIX. — *Répertoire des moyens audio-visuels pour les Professeurs de Langues anciennes dans l'enseignement moyen*. Volume I.

*Films fixes et diapositives*. — Disques. A. Cl. Lg. Trésorier: Étienne Évrad, 39, rue Reynier, Liège, pag 183.

Volumen hoc alterum est in corpore cui index «Travaux de l'Association des Classiques de l'Université de Liège; quod professoribus magnum in docendo erit adminiculum. Duae partes librum definiunt. I. «Films fixes et diapositives». Res explicantur atque domus Editrices innuuntur. Argumenta vero ita distinguuntur: 1) Graecia: regiones, civitates, monumenta, historia, artes, religio, ludi. 2) Roma: Etrusci, regiones, civitates, monumenta, historia, artes, religio. Romanorum influxus extra Italiam.

II. Altera autem pars discis tribuitur. Rei elementa traduntur, domus Editoriae, insignia, erogatores, notitiae. Deinde: 1) Auctores antiqui: a) Auctores graeci: textus, textus cum versione, conversiones. b) Auctores latini: textus, textus cum versione, versiones, «restitutiones musicae». 2) «Evocationes» historicae. 3) Institutio linguarum antiquarum. 4) Musica graeca antiqua.

Eodem in corpore mox alter tomus hujus operis evulgabitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

**Qui PALAESTRAM LATINAM aliquot annos in hac sede Barbastrensi moderatus est amicos et socios plurimum salvere jubet, omnibus gratum se praebet ex multis amicitiae officiis, eiusque aperto animo vale dicit dum in spe, est juvante Deo, aliquando eos Romae videre.**

**Valeatis, boni amici, novosque Moderatores pari amore et honore prosequimini.**

Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F.